VITT. EMANUELE

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
34 G
18

VII. 4 [illegible]. 26.

M



Digitized by Google

Digitized by Google

Ferrier Jean
Valais

Digitized by Google

RESPONSIO
AD OBIECTIONES
VINCENTIANAS
SIVE
AD ARGVMENTA

Quibus P. VINCENTIVS BARONIVS ex Ordine Prædicatorum Scientiam mediam impugnat, tertiâ parte ſuæ manuductionis ad Theologiam.

Authore P. IOANNE FERRERIO
è Societate IESV.

Assist. Galliæ
Soc. Jesu

TOLOSÆ.
Apud BERNARDVM BOSC,
in vico de Peyrolieres.

M. DC. LXVIII.

Cum Approbatione Doctorum & Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO

HABES hîc (Erudite Lector) breuem admodum & quantum in me fuit, dilucidam reſponſionem ad obiectiones, quas Pater Vincentius Baronius ex variis recentium Thomiſtarum ſcriptis in vnum congeſſit cumulum, vt ſin minus pondere, ſaltem harum numero (ſi quid illæ poſſent) Scientiæ mediæ defenſores obrueret.

At quanquam perfectio illa Dei ſingularis, adeo firmis eſt innixa fundamentis, vt ab hac ingenti argumentorum mole, quam iſte Author extruxit, metuere ſibi plané nihil poſſit aut debeat, facturum me tamen operæ pretium exiſtimaui, ſi dum integrum de Deo eiuſque attributis volumen,

Digitized by Google

in quo fuſius iſta diſputantur, prælo mandatur, opuſculum hoc in lucem præmitterem; experturus ſcilicet, an, quod prolixè ſpoponderat P. Vincentius, lucis aliquantulum perdifficili iuxtà & obſcuriſſimæ quæſtioni attulerit? an contrà (vt vulgò creditur) tenebras illi denſiores offuderit.

Sed antequam venio ad argumenta P. Vincentij, non abs re fuerit indagare, num offendat in ipſo limine; Hinc enim, quemadmodum ſpero, intelliges, quale de opere vniuerſo ferre debeas iudicium.

Diſp. 1. de ſcien. med. in præfat. Principiò igitur P. Vincentius Baronius ſcientiam mediam impugnaturus præmittit, argumenta omnia quibus hæc ſcientia aut rejicitur, aut defenditur, ad tres ordines pertinere, *non diſſimiles*, vt ait, *tribus in quas aër diuidi ſolet regionibus*. Primus ordo continet argumenta quæ peti

Digitized by Google

poſſunt ex primo & immediato principio diuinæ cognitionis creaturarum. Alter ea complectitur, quæ ex proximo principio cognitionis futurorum eruuntur. Tertius continet ea quæ petuntur ab incommodis & abſurdis. Primus argumentorum ordo ſupremæ aëris regioni, alter mediæ, tertius infimæ reſpondet. Quartam deinde claſſem ſubjicit eorum quæ authoritati Scripturæ & Patrum innituntur.

Quam idonea ſit hæc comparatio triplicis ordinis argumentorum, cum tribus aëris regionibus nihil attinet dicere; cum res iſta nullius plane momenti ſit; ſed cum vniuerſa Theologorum ſchola ſupremum Dei teſtificantis authoritati locum, medium teſtimonio ſanctorum Patrum, infimum verò rationi tribuat, ſeu à priori vt vulgò loquimur, ſeu à poſteriori petatur: Hinc eſt, quod pleroſque non

Digitized by Google

mediocris inceſſit cupido inueſtigandi, quid cauſæ ſit, cur P. Vincentius argumenta Scripturæ ſacræ, Patrumque teſtimoniis innixa vſque adeo deſpiciat, vt cum ſupremum apud Theologos omnes locum obtineant, iis tamen ne tertium quidem, qui infimæ aëris regioni reſpondet, concedendum cenſuerit.

Ego ſanè non aliam eſſe arbitror rei huiuſce cauſam, niſi odium in Scientiam mediam capitale. Cum enim P. Vincentius probè intelligat, Scientiæ mediæ propugnatores iis præcipuè argumentis inniti, quæ ex Sacris paginis, atque ex Scriptis Sanctorum Patrum eruuntur; aliis verò, quæ ratione nituntur, tanquam minus Theologicis vti dumtaxat interdum, velut auxiliaribus copiis; Voluit ſcilicet Scientiam mediam hac etiam ex parte deprimere, atque argumentis à ratio-

Digitized by Google

ne petitis, quæ Scientiæ huius aſſertores minimo habent in pretio, primum dignitatis locum adſcribere: alia, quæ Dei ac Sanctorum Patrum authoritate fulciuntur, in loco omnium poſtremo, hoc eſt, ſub infima aëris regione collocare,

Sed profectò fallitur vehementer hic Author dum exiſtimat rationes à priori ſiue ex proximo, & immediato principio, ſiue ex remoto petantur, diuinæ ſcripturæ anteponendas; Quoties enim de Deo deque rebus diuinis agitur, *ab ipſo Deo*, vt rectè ſcribit Hilarius, *diſcendum eſt quid de Deo intelligendum ſit; quia non niſi ſe Authore cognoſcitur*: *non enim*, vt idem teſtatur, *ſubeunt ingenia noſtra in cæleſtem ſcientiam, neque incomprehenſibilem virtutem ſenſu aliquo infirmitas noſtra concipiet. Ipſi Deo de ſe credendum eſt, & ijs*

Hilarius lib. 5. de Trinit.

Idem lib. 4. de Trinit.

Digitized by Google

quæ cognitioni noſtræ tribuit, obtemperandum.

Atenim, inquies, non ea eſt P. Vincentij mens neque conſilium; abſit enim vt tantæ eruditionis Theologus vim cujuſcumque rationis, Dei loquentis authoritati præponat; vnum eſt quod contendit, vanam nimirum non eſſe fidem illius quod ſcripſit, rationes à priori ſtare omnes pro Thomiſtarum ſententia, nullam autem ſuppetere pro Scientia media.

Verum ſi P. Vincentio animus non fuit rationibus à priori primas partes concedere; Quorſum igitur ſpectat trimembris illa argumentorum partitio, quæ, vt ait, tribus in quas aër diuidi ſolet regionibus ex æquo reſpondet? Quorſum in eadem argumentorum diſtributione nulla prorſus ſcripturæ ſacræ fit mentio? Quorſum eiuſdem authoritas quarto tantum loco repo-

reponitur , velut ſub infima aëris regione?

Deinde ſi Theologis cæteris aſſentitur P. Vincentius; ſi cum jiſdem concedit, quod inficiari non poteſt, Dei teſtimonium rationibus quibuscunq; & vndecunque petitis antecellere: Vt quid igitur tam frequenter, tantâque verborũ pompâ ſcientiæ mediæ aſſertoribus exprobrat rationum à priori penuriam? Vt quid eaſdem Thomiſtis vendicare nititur tantâ animi contentione, vt hoc in vno ſpem omnem victoriæ poſitam credere videatur.

Certé ſi ſcripturæ ſacræ authoritas omni ratione ſuperior eſt; cum ſcientiæ mediæ defenſores argumentis é ſacra ſcriptura depromptis abundent; iiſdem autem Thomiſtæ careant; non minus vanum de aduerſariis triumphum adornat P. Vincentius, cum ſcri-

bit rationes à priori ſtare omnes pro Thomiſtis, quam ſi quiſpiam contenderet ſe diuitiis æmulum longè ſuperare; propterea quod ille, quamuis auro argentoque abundet, ferri tamen ac plumbi nihil habet in arca reconditum; ipſe vero auri argentique prorſus inops, plumbi tamen ferrique magnam vim habet.

At neque hac etiam in parte Thomiſtas nobis ſuperiores eſſe concedimus; & quanquam id ſe demonſtraturum ſpondet P. Vincentius, quam dedit tamen fidem, nuſquam liberat, vt priori reſponſionis huiuſce parte planum faciam.

Digitized by Google

RESPONSIONIS
AD OBIECTIONES
VINCENTIANAS,
PARS PRIOR.

In qua proponuntur rationes à priori P. VINCENTII aduerſus Scientiam mediam, & confutantur.

ERrares LECTOR, ſi cum *Diſp.* 2. *de Scientia media*, ſect. 1. art. 4. hæc verba legis in P. VINCENTIO, *ſingulari methodo nec ab vllo inita quod ſciam, hanc de Scientia media diſputationem aggreſſi ac proſecuti ſumus.* Continuò expectares ab eo, vt eximium aliquod & hactenus à nullo propoſitum argumentationis genus, veluti recentem fœtum in lucem emitteret, quo Scientia media tam vehementer impeteretur, vt eius propugnandæ ſpes deinceps nulla ſupereſſet. Mitius nobiſcum agit recens hic author; & quamuis in ipſo ſuſceptæ diſputationis limine nihil minus polliceatur, quam manifeſtas demonſtrationes, quibus vt ait, *euidenter conſtabit, Deum futura qualibet contingentia cognoſcere in eſſen-*

Digitized by Google

tia determinata per Decretum, ſcientiâ mediâ excluſâ. Re tamen verâ plus in fronte promittit quam habeat in receſſu; nihil quippe dicit quòd ab alijs Thomiſtis non dictum ante, atque à noſtris validiſſimè confutatum.

Quid igitur continet ſingulare hæc P. Vincentij diſputatio? Hoc videlicet vnum, quod immutato pugnandi ordine in Scientiam mediam impetum faciat. Nam cum cæteri omnes S.Script.& PP.teſtimonia velut totius robur exercitus in prima collocent acie; Poſtremo deinde loco rationibus agant, tanquam externis & auxiliaribus copijs; Non placuit P. Vincentio vetus illa pugnandi ratio, ſed nouam inire ſtatuit, ratus nimirum victoriam à ſuis ſperari non poſſe, niſi inuerſis ordinibus pugnaretur. Quocirca ſcientiæ mediæ defenſoribus rationes omnes, quas vocat à priori, aceruatim accumulatas, velut primam aciem opponit. Dein Scripturæ & Patrum teſtimonia adhibet, non tam vt ijs in ſuæ ſententiæ defenſionem vtatur, quam vt ſe ab illis tanquam ab hoſtibus tueatur.

Hæc eſt ſingularis illa, nec ab vllo hactenus inita methodus, quâ P. Vincentius ſuam de ſcientia media diſputationem aggreſſus & proſecutus eſt. Quo exitu, iudicium eſto penes Theologos eruditos. Interim ego prætermiſſâ illâ pugnandi methodo, quam forte alius ſeuerioris ſupercilii, vt minus Theologicam, reiiciendam putaret, aggredior ad

argumenta P. Vincentii, in quibus expendendis ſic immorabor, vt nihil penitus relinquam intactum quod reſponſione indigeat.

Caput Primum.

Proponitur ſtatus Controuerſiæ & explanatur, quid nomine Scientiæ Mediæ ejuſdem Aſſertores intelligant.

Solemne eſt apud Theologos qui ſcholaſtico more de re aliqua diſputant, primum omnium ſtatum controuerſiæ proponere, vt ipſo in limine lector intelligat, quid operis author defendendum, quidve impugnandum ſuſceperit.

Duriùs forte ſecum agi cenſuit P. Vincentius, ſi ſuæ manuductionis ſtylum ad minutas illas ſcholaſticorum leges adſtringere cogeretur. Quocirca prætermiſſo controuerſiæ ſtatu, in Scientiam Mediam toto impetu, eoque tam præcipiti rapitur, vt nullibi ſtatuat ecquid tandem ſit illa ſcientia, cuius impugnationem inſtituit.

Leuabo illum hoc onere, quodque ipſe facere, aut incautus, aut datâ operâ prætermiſit, præſtare ipſe conabor, & controuer-

Digitized by Google

ſiæ præſentis ſtatum in omnium oculis ponam; eo videlicet animo, vt vel mediocriter eruditis ſit planè perſpectum, rectène an perperam Scientia Media impugnetur à P. Vincentio,

1 Præmitto igitur primò nomine Scientiæ Mediæ cognitionem illam intelligi, per quam Deus antecedenter ad omne decretum efficax, certò atque infallibiliter præſcit contingentia conditionatè futura, hoc eſt, effectus liberos à cauſis ſecundis ſub certa conditione ponendos.

2 Præmitto ſecundò huiuſmodi cognitionem, ab eius aſſertoribus ScientiamMediam propterea vocari, quod ſit veluti media inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quæ verſatur circa res, quatenus præcisè ſunt poſſibiles, & ſcientiam viſionis, quæ reſpicit res, vt abſolutè exiſtunt pro certo tempore. Hæc quippe nec repræſentat objectum ſuum præcisè vt poſſibile, nec vt abſolutè exiſtens, ſed vt ponendum, ſi ponatur certa conditio. Porro huiuſmodi Scientia inter illam vtramque ſic mediat, vt aliquid ex vtraque participet. Nam in hoc conuenit cum ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quod ſit in Deo independenter ab omni decreto libero, quod ſupponatur actu exiſtens; ideoque non dicitur ſcientia libera, ſed naturalis, vt ſcientia ſimplicis intelligentiæ. In hoc autem imitatur ſcientiam viſionis, quod ſicut illa, ver-

Digitized by Google

ſatur circa veritates contingentes, quæ cum poſſint abſolutè non eſſe, poteſt conſequenter non fuiſſe in Deo ſcientia, quam nunc habet de re aliqua ſub conditione futura.

His ita conſtitutis, non eſt difficile de- 3
monſtrare in quo ſtatus præſentis controuerſiæ poſitus ſit. Quando enim quæritur an detur Scientia Media in Deo, nihil aliud indagatur, niſi an detur in Deo cognitio certa & infallibilis, per quam ante omne decretüm liberum nouerit effectus liberos à cauſis ſecundis ſub certa conditione ponendos; hoc enim nomine Scientiæ Mediæ omnes intelligunt.

Huius generis cognitionem ineſſe Deo negant recentiores Thomiſtæ; quamuis enim iam fateantur, quod inter illos aliqui olim negauerant, Deum nimirum contingentia conditionatè futura certò cognoſcere: contendunt tamen huiuſmodi cognitionem præſupponere in Deo decretum efficax ex parte objecti conditionatum, in quo tanquam in medio hæc futura videantur.

Ita vidit, inquiunt, Deus certò & infallibiliter ab æterno Tyrios pœnitentiam acturos, ſi apud ipſos fierent virtutes illæ quæ factæ ſunt apud Iudæos; Sed hoc vidit in Decreto libero, quo efficaciter ſtatuerat prædeterminare phyſicè Tyrios ad pœnitentiam, ſi apud ipſos Chriſtus eaſdem virtutes operaretur, quas fecit apud Iudæos. Ita pariter

Digitized by Google

vidit ab æterno D. Petrum negaturum Chriſtum, ſi in domo Pontificis ab ancilla interrogaretur ; ſed hoc vidit in Decreto quo ſtatuerat efficaeiter, vt Petrus Chriſtum negaret, ſi interrogaretur ab ancilla.

Ita demum vidit ab æterno Saülem venturum Ceilam , & Ceilitas Dauidem Saüli udituros, ſi Dauid apud ipſos remaneret: ſed hoc vidit in decreto ſuo, quo efficaciter ſtatuerat vt Saül in Ceilam deſcenderet, & Ceilitæ Dauidem proderent, ſi ibi remaneret.

4 At è contrario Scientiæ Mediæ defenſores, ſcientiam contingentium futurorum ſub conditione, eâ ratione Deo concedunt, vt velint Deum hæc futura certò cognoſcere ante omne decretum ex parte objecti conditionatum; Illud autem hoc præcipuè ſyllogiſmo conficiunt.

5 Negari non poteſt eſſe in Deo cognitionem certam & euidentem contingentium futurorum ſub conditione ; Deus enim, quem maximè dedecet cognitio ineuidens & incerta, debet illud certò & euidenter noſſe, quod in ſacris paginis futurum eſſe denunciat, alioqui reuelaret eſſe futurum, quod neſciret eſſe futurum; Conſtat autem Deum in ſacris paginis reuelaſſe multa contingentia ſub conditione futura, vt Pænitentiam Tyriorum, ſi apud ipſos factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt apud Iudæos, Math. 11. Traditionem Dauidis in manus Saül, ſi

remaneret in ciuitate Ceilam 1. Regum c. 23. Receſſum hominis iuſti à iuſtitia, ſi diutius viueret, Sapient. 4. Et futuram Iſraëlitarum idololatriam, ſi cum mulieribus alienigenis contraherent matrimonium. Exod. 34. & lib. 3 Regum c. 4.

Ac quamuis P. Vincentius hæc ſacræ Scripturæ teſtimonia conetur eludere; & quidem exitu admodum infelici; vt ex jis quæ in poſteriori huius reſponſionis parte dicemus, ſole clarius euincitur, fatetur tamen ex illis ſcripturæ locis, ſin minus certò, at probabilius ſaltem colligi, Deum certò cognoſcere contingentia conditionatè futura.

Atqui non minus certum eſt cognitionem hujuſmodi eſſe in Deo independenter ab omni decreto ex parte obiecti conditionato. 6
Probat hoc inprimis facta à Chriſto obiurgatio Iudæorum præ Tyrijs Math. 11. quæ prorſus illegitima foret, atque omninò nulla admiſſo tali decreto. Vt pluribus oſtendo ſecundâ parte huius reſponſionis. Probant hoc ipſum varia S. Auguſtini ac S. Thomæ loca, quæ ibidem, & diſput. 5. de ſcientia Dei refero & expendo. Probant Demum grauiſſima incommoda quæ ex decreto hujuſmodi conſequuntur, vt in eadem diſputatione fusè demonſtro.

Concludendum eſt igitur, eſſe in Deo certam atque infallibilem contingentium

Digitized by Google

ſub conditione futurorum notitiam, ab omni decreto ex parte obiecti conditionato prorſus independentem.

Hæc eſt argumentatio præcipua, cui ſcientiæ mediæ veritas tanquam firmiſſimæ baſi innititur. Nunc quid contrarium opponat P. Vincentius juuat in medium adducere, ac tela omnia quæ in hanc ſcientiam contorquet, quantùm in me ſitum erit retundere.

CAPVT SECVNDVM.

Expenditur Prima P. Vincentij aduerſus Scientiam Mediam Argumentatio.

PRima quâ P. Vincentius vtitur aduerſus Scientiam Mediam argumentatio, hunc in modum inſtituitur. *ſect.* 1. §. 1.

7 Modus cognoſcendi futura debet eſſe conſentaneus modo quo Deus poſſibilia cognoſcit. Atqui cognitio futurorum in decreto ſecluſâ Scientiâ Mediâ, eſt maximè conſentanea modo quo Deus poſſibilia cognoſcit; ea namque nouit in ſua eſſentia tanquâm in medio; huic autem cognoſcendi modo valde conſentanea eſt cognitio futurorum in eadem eſſentia ſeu omnipotentia per decretum determinata. Ergo admittenda

Digitized by Google

eſt in Deo cognitio futurorum in decreto, Scientiâ Mediâ excluſâ.

Hæc eſt prima argumentatio P. Vincentij quam ipſe tanto habet in pretio, vt eam oſtentet velut manifeſtam demonſtrationem. Ac quamuis ex ijs quæ diſputatione quinta de ſcientia Dei à me tradita ſunt, intelligi facilè queat, rationem hanc nihil penitus continere quod vel mediocriter ſtringat; fuerit tamen operæ pretium huic breuiter reſpondere, ac palam oſtendere, quantùm deficiat ab euidenti demonſtratione, quam Author ille ſub diſſertationis ſuæ initium pollicebatur.

Reſpondeo igitur primò; ſi argumentatio propoſita, ratio à priori dicenda eſt vt P. Vincentius contendit, profectò fidem non liberat, quâ ſe demonſtraturum promiſit, rationes à priori ſtare omnes pro Thomiſtis, nullam autem ſuppetere aſſertoribus Scientiæ Mediæ. Hi quippe modo argumentandi non abſimili, & Scientiam Mediam tueri poſſunt; & oppoſitam Thomiſtarum doctrinam refellere. Quid enim vetat eos hunc in modum argumentari? 8

Ea eſt inſtituenda in Deo cognitio futurorum ſub conditione, quæ conſentanea ſit modo quo Deus contingentia abſolutè futura cognoſcit; neque enim tribuēdus eſt Deo modus cognoſcendi contingentia conditionatè futura, qui ſit alius ab eo quo eadem abſolu- 9

tè futura cognoſcit: ijs quippe veritas determinata non aliter conuenit, quam quomodò conuenit contingentibus abſolutè futuris.

Atqui ſi S. Thomam audimus *in 1. Sent. diſt. 38. q. 1. art. 5.* cum diſputat de modo quo Deus contingentia abſolutè futura cognoſcit, futura hujuſmodi, *In ſuis cauſis nullo modo cognoſci poſſunt*, certò & infallibiliter, quia *in cauſis quæ ſe habent ad vtrumlibet, effectus de futuro, nullam habent certitudinem vel determinationem.* Sed cognoſcuntur certò & infallibiliter prout actu exiſtunt in certa differentia temporis; Quia *vt ait. S. Doctor q. 2. de verit. ar. 12. ad 1.* licet *contingens non ſit determinatum ad vnum, quamdiu futurum eſt*, hoc eſt quamdiu eſt præciſè in ſua cauſa; *tamen ex quo productum eſt in rerum natura, veritatem determinatam habet & hoc modo ſuper illud fertur intuitus diuinæ cognitionis.*

Concludendum eſt igitur contingentia futura ſub conditione non cognoſci à Deo, prout ſunt in ſuis cauſis, cum in illis nullam habeant certitudinem aut determinationem; ſed cognoſci ab eo certò & infallibiliter, prout ſunt actu poſità conditione; quoniam vt actu exiſtunt ſi ponatur certa conditio, habent veritatem determinatam.

At hoc ipſum eſt Scientiam Mediam admittere, & reiicere Thomiſtarum doctrinam, ſiquidem Scientia Media in hoc tota conſi-

Digitized by Google

ſtit, quod ſit cognitio quæ certò & infallibiliter cognoſcit contingentia conditionatè futura, non in aliqua ipſorum cauſa, qualis eſſet decretum Dei ex parte obiecti conditionatum, ſed in ſeipſis prout actu exiſtunt in aliqua differentia temporis, ſi ponatur certa conditio: contra verò Thomiſtarum ſententia in hoc poſita eſt, quod cenſeant Deum futura hujuſmodi non cognoſcere, prout actu exiſtunt ſi ponatur certa conditio, ſed prout ſunt in ſuis cauſis determinatis per decretum ex parte obiecti conditionatum. Quod quam ſit alienum ab ea doctrina quam ex S. Thoma jam retuli, nemo non videt.

Hæc eſt vna ex rationibus à priori, quas Scientiæ Mediæ defenſores in ſuæ ſententiæ defenſionem adducunt; Ad eam verò nihil planè reſpondet Pater Vincentius: aliorum autem reſponſiones confutatæ ſunt diſput. 3. de ſcientia Dei c. 2. à num. 14. ad 27.

Aliam præterea rationem à priori pro Scientia Media placet adijcere, vt vel ex hac prima velitatione intelligat P. Vincentius, quam inanis ac vana ſit fides illius quod ſcripſit, quódque toties inculcat, rationes nimirum à priori ſtare omnes pro Thomiſtarum Sententia, nullam ſuppetere nobis pro Scientia Media; ſic igitur argumentor. 10

Ea eſt admittenda in Deo contingentium futurorum cognitio, quæ conſentanea ſit

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

modo quo Deus poſſibilia cognoſcit: Atqui cognitio futurorum contingentium independenter à decreto ex parte obiecti conditionato, eſt admodum conſentanea modo, quo Deus poſſibilia cognoſcit; eidem autem eſt diſſentanea cognitio futurorum in decreto; Ergo admittenda eſt in Deo prior illa cognitio futurorum, quam Scientiam vocamus Mediam; & reiicienda poſterior, quæ Deo tribuitur à Thomiſtis: Maior propoſitio in confeſſo eſt apud omnes, ſi P. Vincent. audimus; Quod attinet ad minorem, ſic demonſtratur.

11 Triplex eſt Theologorum ſententia circa modum quo Deus poſſibilia cognoſcit. Prima eſt Nominalium, qui ſtatuunt Deum non cognoſcere res poſſibiles in ſeipſo tanquam in medio; ſed in ſeipſis immediatè: Nemo autem eſt qui non intelligat cognitionem futurorum ſub conditione independenter à decreto Dei conditionato, huic modo cognoſcendi poſſibilia eſſe planè conformem: eidem autem aduerſari cognitionem futurorum in decreto Dei tanquam in medio.

12 Altera ſententia eſt eorum qui probabilius loquendo admittunt in Deo duplicem ratione noſtrâ modum cognoſcendi creaturas poſſibiles, nempe in ſua eſſentia tanquam in medio, & in ſeipſis immediatè. At huic quoque ſententiæ quatenus tribuit Deo cognitionem creaturarum poſſibilium immedia-

tè in ſeipſis, omnino conſentanea eſt cognitio futurorum, prout actu exiſtunt in ſeipſis independenter à decreto tanquam à medio; eidem autem repugnat cognitio futurorum in decreto Dei tanquam in medio.

Tertia ſententia quæ mihi quoque probabilior viſa eſt, ſtatuit Deum non cognoſcere creaturas poſſibiles in ſeipſis immediatè, ſed in ſeipſo dumtaxat tanquam in medio; ita vt ipſa Dei eſſentia, ſit Deo ratio primaria cognoſcendi reliqua omnia. & velut obiectum formale quo mediante reliquæ omnes veritates ab ipſo cognoſcuntur. Ac quoniam huic ſententiæ adhæret P. Vincentius, ratus videlicet Scientiam Mediam cum ea conciliari non poſſe, demonſtrandum eſt mihi etiam huic ſententiæ Scientiam Mediam eſſe omnino conſentaneam, diſſentaneam vero Thomiſtarum doctrinam. 13

Et primò quidem, quamuis aſſertores ſcientiæ mediæ contendant Deum certò cognoſcere contingentia futura ſub conditione, prout actu exiſtunt ſi ponatur certa conditio; hoc tamen non impedit quominus illorum plerique doceant ipſam Dei eſſentiam eſſe ipſi Deo rationem primariam cognoſcendi veritatem omnem contingentem, atque adeo futura omnia contingentia tam abſoluta quam conditionata. 14

Et ſanè ſi intellectio diuina quatenus præcisè eſt perfecta eſſentiæ diuinæ compre-

henſio habet quidquid perfectionis intrinſecæ requiritur, ad hoc vt datâ quacunque veritate contingenti, illam continuò repræſentet abſque nouâ perfectione ſuperaddita, negari non poteſt eſſentiam diuinam eſſe Deo rationem primariam cognoſcendi aliam omnem veritatem cûm neceſſariam tûm contingentem; Tunc enim vnum obiectum dicitur ratio cognoſcendi aliud, ſeu medium in quo aliud cognoſcitur, quando præcisè vi cognitionis illius aliud cognoſcitur, vt pluribus oſtendi diſput. 2. de ſcientiâ Dei c. 1. num. 1.

Atqui diuina intellectio quatenus præcisè eſt perfecta Dei comprehenſio, habet quidquid intrinſecæ perfectionis requiritur, ad hoc vt datâ quacumque aliâ veritate eam illicò repræſentet abſque noua ſuperaddita perfectione. Nam quatenus eſt perfecta rei comprehenſio, eſt infinitè perfecta in ratione cognitionis, ſicut ipſius obiectum, nempe Deus, eſt infinitè perfectum in ratione obiecti; Ergo continet aut formaliter aut eminenter omnem perfectionem intrinſecam quæ conuenire poteſt cuilibet cognitioni poſſibili; Ex quo conſequenter fit, vt quatenus eſt perfecta Dei comprehenſio habeat quidquid intrinſecæ perfectionis requiritur, vt aliam quamcunque veritatem repræſentet: ei namque ſi quid perfectionis deeſſet, non foret infinitè perfecta in ratione cognitionis

Digitized by Google

tiones, quod tamen ſupponimus, idque fusè probatum eſt, diſput. 2. de ſcientia Dei c. 5.

Ergo eſſentia Dei eſt ipſi Deo ratio primaria, ſeu medium in quo veritatem omnem tam neceſſariam quam contingentem cognoſcit.

Conſtat autem huic cognoſcendi modo Scientiam Mediam eſſe admodum conſentaneam. Quotquot enim Scientiam Mediam tuentur, cenſent intellectionem Dei neceſſariam independenter ab omni decreto libero, habere quidquid perfectionis requiritur, vt datâ aliâ quacunque veritate, eam repræſentet; ideoque illis ſatis eſt, vt detur veritas obiectiua, ad hoc vt diuina intellectio eam repræſentet abſque nouo medio ſuperueniente in quo eam cognoſcat.

At è contrario cognitio futurorum ſub 15
conditione in decreto tanquam in medio, huic doctrinæ penitus aduerſatur. Siquidem ſententia illa ſtatuit ipſam Dei eſſentiam eſſe Deo rationem primariam, & medium ſufficiens ad aliam quamcunque veritatem infallibiliter cognoſcendam: Thomiſtæ autem è contrario contendunt, eſſentiam Dei non eſſe medium ſufficiens ad cognoſcendam veritatem contingentem; volunt enim requiri præterea decretum Dei liberum in quo tanquam in medio cognoſcatur.

Deinde iuxta ipſiummet P. Vincentium,

Digitized by Google

diſp. 2. de ſci: med. ſect. 1. §. 1. fundamentum & radix cur Deus in ſua tantum eſſentia poſſibilia cognoſcat, eſt quia ſi cognitio diuina haberet aliud medium extra Deum, in quo illa cognoſceret, hauriret ſuam perfectionem aliunde quam ab ipſa Dei eſſentia. Atqui ſi decretum Dei liberum eſt neceſſarium, vt in eo tanquam in medio Deus futura cognoſcat, cognitio diuina hauriet ſuam perfectionem aliunde quam ab eſſentia diuina: ergo decretum Dei non eſt neceſſarium, vt Deus in illo tanquam in medio futura contingentia cognoſcat.

Minor propoſitio, quæ ſola vocari poteſt in controuerſiam, contra P. Vincentium hunc in modum adſtruitur. Certum eſt decretum Dei liberum concurrendi ex. gr. cum Petro ad actum amoris diuini, non eſſe volitionem neceſſariam, quâ Deus ſeipſum ſummè diligit, nudè & præcisè ſumptam, cum volitio illa poſſit eſſe in Deo, quamuis non habeat decretum producendi cum Petro actum amoris: Eſt igitur decretum illud volitio Dei neceſſaria, quatenus reſpicit, aut connotat, aut terminatur ad productionem huius actus amoris. Atque in hoc nobiſcum illi conuenit.

Quapropter vt Deus dicatur videre hunc actum amoris futurum in ſuo illo decreto, debet illum videre in ſua volitione neceſſaria, non nudè & præcisè ſumpta, ſed qua-

Digitized by Google

tenus reſpicit ſeu connotat productionem huius actus amoris. Atqui iſte reſpectus ſeu connotatio, eſt aliquid reale vel rationis extra ipſum Deum, Deus enim poteſt eſſe abſque huiuſmodi reſpectu ſeu connotatione. Ergo ſi Deus videt hunc actum amoris futurum in ſua volitione quatenus reſpicit ſeu connotat productionem huius actus amoris, habet tanquam medium ſuæ cognitionis aliquid extra Deum ſeu reale, ſeu rationis: Atque ita cognitio illa diuina ſuam haurit perfectionem aliunde quam ab ipſa Dei eſſentia; Quod tamen, & quidem meritò negat P. Vincentius.

Placet hoc ipſum alia argumentatione 16
confirmare. Intellectio neceſſaria per quam Deus ſeipſum perfecte comprehendit, vel habet independenter ab omni libero Dei decreto quidquid perfectionis requiritur ad hoc vt poſitâ futuritione rei contingentis, eam certò cognoſcat, vel non habet; Si non habet; Ergo accipit aliquam perfectionem intrinſecam ab illo decreto, quam non haberet, ſi non eſſet in Deo tale decretum. Quocirca, cum decretum illud ſit liberum, poſſitque non eſſe in Deo, potuit pariter intellectio Dei neceſſaria carere perfectione intrinſecâ quam habet poſito illo decreto; quod omnino repugnat.

Si dixeris, intellectionem Dei neceſſariam ante omne decretum Dei liberum habere

Digitized by Google

quidquid perfectionis requiritur, ad hoc vt poſitâ rei cuiuſpiam futuritione, eam continuò cognoſcat abſque vllo intrinſecè ſuperaddito: fruſtra igitur requiritur decretum Dei tanquam medium in quo Deus videat rei contingentis futuritionem, cum ante illud decretum diuina intellectio habeat quidquid perfectionis requiritur ad hoc vt illam certò cognoſcat.

17 Non abſimili argumento vtitur P. Vaſques 1. p. diſput. 50. c. 3. vt probet Beatos non videre futura in Dei decreto tanquam in medio; quia decretum Dei ſupra eius eſſentiam ſeu velle neceſſarium, nihil addit niſi reſpectum rationis ad rem futuram; hic autem reſpectus non eſt medium idoneum, ad hoc vt Beatus in eo certò cognoſcat futura.

Quid ad hoc reſpondet P. Vincentius, *diſp. de. ſci. med. ſect. 1.* §. 2. nimirum *P. Vaſquez* impugnare oppoſitam Thomiſtarum doctrinam: *futilibus argumentis; quale, inquit, eſt iſtud, non poſſe à Beato videri futura in decreto, quia eſt merum ens rationis.* Tum vero indignabundus exclamat, *Quid Atheis & impiis poteſt eſſe acceptius, quam quod obiicit Vaſques, Dei voluntatem, quâ omnia conſtitui & mutari clamant ſcriptura, mero ente rationis conſtare? Tantò eſt apud illos conuellere cognitionem in eſſentia vt in cauſâ & in decreto, vt ſcientia media adſtruatur. Si*

Digitized by Google

ita liceat arguere, actum eſt de fide & de totâ ſcripturâ?

Si horrendam blaſphemiam, aut impiam aliquam hæreſim protuliſſet in medium P. Vaſques, non poterat P. Vincentius ſtylo vehementiori in eum inſurgere. Quid enim dici poteſt acerbius aduerſus Theologum magni nominis, quam eum accuſare quod tam nefariè ratiocinetur, vt *Atheis atque impiis hominibus nihil eſſe queat acceptius*, quam eius argumentatio, *ſitque actum de fide, deque tota ſcriptura, ſi ita liceat arguere,*

Atqui eo in loco ſic diſputat P. Vaſques, vt nihil de libero Dei decreto pronunciet, quod ab ipſis Thomiſtis non admittatur; Quid enim aſſerit Vaſques; Decretum inquies, liberum Dei, eſſe *merum ens rationis*; lego quidem hæc verba in P. Vincentio, ſed in ſcriptis Vaſquis non inuenio. En igitur, vt loquitur Vaſques, *Cum decretum ſit liberum, non poteſt eſſe quidquam aliud niſi reſpectus rationis ad futura, vt diſput. 80. etiam dicemus.* Ita Vaſques, cuius ſenſus hic eſt, decretum liberum Dei, nihil aliud eſſe, niſi ipſum velle Dei neceſſarium, quatenus libere connotat aut terminatur ad exiſtentiam rei quam Deus dicitur velle? Quam connotationem aut terminationem, cum realis relatio non ſit, reſpectum rationis Vaſques appellat; In quo receptum apud Thomiſtas

loquendi modum ſequutus eſt; Hi quippe denominationes omnes quæ connotant aut includunt aliquid extrinſecum rei quæ denominatur, vocant relationes, ſeu reſpectus rationis.

18 Atque vt id manifeſtius fiat, audiendus eſt ipſemet Vaſques in diſputatione octogeſima ad quam lectorem remittit. Is ergo diſput. 80. c.2. ſuam de velle libero Dei ſententiam ſic exponit. *Voluntas hac libera Dei, non eſt pura relatio, & habitudo rationis ad res volitas, nam cum Deus dicitur velle creaturas producere, hoc modo loquendi non ſolus reſpectus rationis, ſed etiam vitalis operatio, vel ipſa Dei eſſentia ad modum vitalis operationis, ac proinde aliquid Deo intrinſecum denotatur; neque enim velle dicitur aliquis ſolo reſpectu rationis.* Ecce propoſitionem tradit Vaſques, plane contradictoriam huic quam P. Vincentius eidem affingit. Is enim ait Vaſquem docere decretum Dei liberum eſſe *merum ens rationis*: Vaſques autem in illa diſputatione ad quam lectorem remittit, & in qua ea de re ex profeſſo diſputat, verbis apertiſſimis ſtatuit, *voluntatem Dei liberam, non eſſe puram relationem & habitudinem rationis ad res volitas: neque enim*, inquit, *velle dicitur aliquis, ſolo reſpectu rationis.*

Sed pergit deinde Vaſques, *Eſt igitur voluntas libera Dei eſſentia diuina ſignifica-*

ta per modum actus vitalis ſeu affectus liciti, cum reuera ſit ipſamet ſubſtantia Dei : Includit tamen habitudinem etiam quamdam rationis ad res futuras, quæ liberè Deo conuenit, ſicut etiam res libere futuræ ſunt. Cum enim hæc relatio conſurgat ex fundamentis non neceſſariis, nempe ex rebus ipſis, & obiectis futuris, ipſa etiam habitudo libera Deo conuenit, non intrinſece, ſed extrinſecâ ſolum denominatione.

Quibus verbis manifeſtè colligitur, iuxta mentem Vaſquis, voluntatem Dei liberam; eſſe ipſam Dei ſubſtantiam, ſeu velle Dei neceſſarium, quatenus terminatur ad exiſtentiam rei cuiuſpiam, eam nimirum liberè producendo; hanc autem terminationem, cum ſit denominatio Deo extrinſeca petita ab ipſa rei quam Deus velle dicitur, productione, vocat habitudinem ſeu reſpectum rationis ad rem quæ dicitur volita: in quo loquendi modo Thomiſtæ omnes conſentiunt.

Scio P. Vincentium in ea eſſe ſententia vt exiſtimet cum Ioanne à S. Thoma, 19
terminationem illam ſeu reſpectum volitionis diuinæ neceſſariæ ad res creatas, eſſe *entitatiuè intrinſecam Deo*; verum ſi nihil aliud ſignificat verbis illis, niſi entitatem ipſam, quæ terminatur ad rem creatam, quam Deus dicitur velle, eſſe intrinſecam Deo, cum ſit ipſa Dei ſubſtantia aut velle

Dei neceſſarium; hoc ipſum admittit Vaſques, & tradit diſertiſſimis verbis. Sin autem exiſtimat actualem volitionis diuinæ neceſſariæ terminationem ad rem creatam, eſſe entitatem aut perfectionem aliquam ipſi volitioni Dei neceſſariæ ſuperadditam ac Deo intrinſecam, peius philoſophatur quam Vaſques; cum enim poſſit exiſtere Deus, quamuis eius velle neceſſarium actu non terminetur ad rem creatam: ſi illa actualis terminatio ſit aliqua perfectio intrinſeca Deo, potuit Deus eſſe ſine aliqua perfectione intrinſeca quam reipsâ habet, atque ita eſt mutationi & phyſicæ compoſitioni obnoxius, quod ſummæ Dei ſimplicitati repugnat: hoc autem incommodum vitat Vaſques, dum ait actualem illam terminationem volitionis neceſſariæ ad rem creatam, cum poſſit adeſſe & abeſſe à Deo abſque intrinſecâ Dei mutatione, includere neceſſario ſaltem in obliquo aliquid Deo extrinſecum, ideoque vocari relationem rationis, ſeu vt vulgo loquuntur, *relationem ſecundum dici*.

Sed iam ſatis multa de hoc, de quo ne verbum quidem dixiſſem, niſi me ad Vaſquis defenſionem impuliſſet non ſatis moderata P. Vincentij in eum declamatio; Qui profecto melius conſuluiſſet Suæ & Thomiſtarum ſententiæ de Scientia Media, ſi depoſitâ oratoris perſonâ, quam hic agere voluit,

voluit, Theologi partes, vt debuerat, ſuſ-
cepiſſet. Nam ſi argumentum à P. Vaſques
propoſitum, *futile eſt*, vt vult, tantò
promptius faciliuſque huic poterat reſpon-
dere, abſque vlla orationis atrocitate atque
illa intempeſtiua & intemperantiùs ſanê ſcri-
pta declamatione, quæ luculenter oſtendit,
extremam ſolidæ alicuius reſponſionis ege-
ſtatem.

Redeo nunc ad eius argumentationem 20
ſub huius capitis initium propoſitam; Ad
hanc autem, Reſpondeo ſecundò eâ ratione,
neque illum Scientiam Mediam euertere, ne-
que adſtruere Thomiſtarum doctrinam. Ete-
nim vt id conficeret, duo hæc demonſtrare
debuerat, nimirum cognitionem futurorum
ſub conditione independenter à decreto ex
parte obiecti conditionato, non eſſe conſen-
taneam modo quo Deus poſſibilia cognoſcit;
eſſe autem conſentaneam illam, per quam
Deus ea cognoſcit in ſuo decreto. Atqui
nihil horum efficit, quamuis in huius argu-
menti mole præſtruenda quindecim paginas
ſuæ manuductionis impendat. Ac ne illud
acerbius à me quam verius dictum eſſe quis
putet, placet ipſummet diſſerentem audire.

Obiicit 1. ſect. 1. §. 1. *Sicut ſe habet eſ-* 21
*ſentia nuda, & omnipotentia ad creaturas poſ-
ſibiles, ita ad futuras eadem eſſentia determi-
nata, & omnipotentia applicata per decretum.*

At quis non videt nuda hæc eſſe verba,

Digitized by Google

Dei neceſſarium ; hoc ipſum admittit Vaſques ; & tradit diſertiſſimis verbis. Sin autem exiſtimat actualem volitionis diuinæ neceſſariæ terminationem ad rem creatam, eſſe entitatem aut perfectionem aliquam ipſi volitioni Dei neceſſariæ ſuperadditam ac Deo intrinſecam , peius philoſophatur quam Vaſques ; cum enim poſſit exiſtere Deus , quamuis eius velle neceſſarium actu non terminetur ad rem creatam : ſi illa actualis terminatio ſit aliqua perfectio intrinſeca Deo , potuit Deus eſſe ſine aliqua perfectione intrinſeca quam reipsâ habet, atque ita eſt mutationi & phyſicæ compoſitioni obnoxius , quod ſummæ Dei ſimplicitati repugnat : hoc autem incommodum vitat Vaſques, dum ait actualem illam terminationem volitionis neceſſariæ ad rem creatam, cum poſſit adeſſe & abeſſe à Deo abſque intrinſecâ Dei mutatione , includere neceſſario ſaltem in obliquo aliquid Deo extrinſecum , ideoque vocari relationem rationis , ſeu vt vulgo loquuntur , *relationem ſecundum dici*.

Sed iam ſatis multa de hoc , de quo ne verbum quidem dixiſſem , niſi me ad Vaſquis defenſionem impuliſſet non ſatis moderata P. Vincentij in eum declamatio ; Qui profecto melius conſuluiſſet Suæ & Thomiſtarum ſententiæ de Scientia Media, ſi depoſitâ oratoris perſonâ , quam hic agere voluit,

Digitized by Google

voluit, Theologi partes, vt debuerat, ſuſcepiſſet. Nam ſi argumentum à P. Vaſques propoſitum, *futile eſt*, vt vult, tantò promptius faciliuſque huic poterat reſpondere, abſque vlla orationis atrocitate atque illa intempeſtiua & intemperantiùs ſanê ſcripta declamatione, quæ luculenter oſtendit, extremam ſolidæ alicuius reſponſionis egeſtatem.

Redeo nunc ad eius argumentationem 20
ſub huius capitis initium propoſitam; Ad hanc autem, Reſpondeo ſecundò eâ ratione, neque illum Scientiam Mediam euertere, neque adſtruere Thomiſtarum doctrinam. Etenim vt id conficeret, duo hæc demonſtrare debuerat, nimirum cognitionem futurorum ſub conditione independenter à decreto ex parte obiecti conditionato, non eſſe conſentaneam modo quo Deus poſſibilia cognoſcit; eſſe autem conſentaneam illam, per quam Deus ea cognoſcit in ſuo decreto. Atqui nihil horum efficit, quamuis in huius argumenti mole præſtruenda quindecim paginas ſuæ manuductionis impendat. Ac ne illud acerbius à me quam verius dictum eſſe quis putet, placet ipſummet differentem audire.

Obiicit 1. ſect. 1. §. 1. *Sicut ſe habet eſ-* 21
ſentia nuda, & omnipotentia ad creaturas poſſibiles, ita ad futuras eadem eſſentia determinata, & omnipotentia applicata per decretum.

At quis non videt nuda hæc eſſe verba,

Digitized by Google

quæ nihil omnino continent niſi forte meram petitionem principij. Etenim ſi horum ſenſus eſt, ſicut Deus cognoſcit res poſſibiles in ſua eſſentia aut omnipotentia tanquam in medio, ita cognoſcit res futuras in eadem eſſentia per decretum determinata, euidens eſt peti principiū, illudque tanquam certum aſſumi, quod probandum ſuſcipitur.

Sin autem horum verborum ſenſus eſt, ſicut creaturæ ſunt poſſibiles ab omnipotentia Dei: ita exiſtunt actu aut ſunt futuræ ab eadem omnipotentia per decretum determinata; fateor id eſſe verum, ſi eo quo dicam inferius, modo explicetur. Nego autem inde concludi poſſe legitimè, cognitionem futurorum ſub conditione, in decreto conditionato tanquam in medio, eſſe conſentaneam modo quo Deus poſſibilia cognoſcit, & diſſentaneam Scientiam Mediam.

22 Obijcit 2. ibidem, *Sicut ab eſſentia vt participabili, & imitabili per modum ideæ creaturæ habent ſuam non repugnantiam, vt ſint entia participatione eſſentiæ, & ab omnipotentia ſunt producibiles vt à cauſa efficiente: ita voluntas determinata per decretum efficax aut permiſſiuum, eſt cauſa tranſitus à poſſibili ad futurum iuxta illud*; quomodo fuiſſet, niſi tu voluiſſes.

Verum hæc ratio, quæ eſt eadem planè cum præcedenti, nihil aliud euincit, niſi decretum aliquod Dei eſſe neceſſarium, vt

Digitized by Google

res quælibet abſolutè exiſtat ; nulla enim creatura exiſtit abſolutè niſi Deo volente aut permittente. Atque id vltrò concedunt omnes Scientiæ Mediæ aſſertores. Contendunt tamen inde non poſſe concludi futura ſub conditione cognoſci à Deo in decreto ex parte objecti conditionato. Quod tamen concludendum eſſet P. Vincentio.

Obiicit 3. in eodem paragrapho, *Fundamentum & radix cur poſſibilia cognoſci debeant in eſſentia Dei, nec aliud medium ſuppetat extra Deum, eſt ſumma Dei independentia quæ non patitur, illum ſuæ cognitionis perfectionem haurire aliunde quam à ſua eſſentia.* 23

At quis non intelligit rationem hanc, ſi quam vim habet, hoc vnum euincere, nimirum cognitionem diuinam futurorum non aliunde quam ab eſſentia diuina ſuam perfectionem haurire. Ac proinde eſſentiam diuinam eſſe ipſi Deo rationem primariam cognoſcendi omnem aliam veritatem, ſeu neceſſariam, ſeu contingentem; Quod ego lubenter admitto, & contendo ex eo rectè concludi contra ipſum, decretum Dei liberum non eſſe medium in quo Deus futura cognoſcat, alioqui vt ſuperius oſtendi, ſuæ cognitionis perfectionem hauriret Deus aliunde quam à ſua eſſentia.

Ex his duo conſectaria deduco, aduerſus P. 24
Vincentium; Primum eſt magni eſſe momēti

Digitized by Google

ad Scientiæ Mediæ præſidium, & excidium doctrinæ Thomiſticæ, noſſe quid Theologi ſentiant de modo quo Deus poſſibilia cognoſcit. Nam cuicunque adhæreas ex tribus jam ſupra recenſitis Theologorum ſententijs de modo quo Deus poſſibilia cognoſcit: ſemper tamen ſtat inconcuſſa veritas Scientiæ Mediæ. At è contrario cognitio futurorum in decreto eius generis eſt, vt defendi vix queat, ſiue cum Nominalibus dixeris, Deum cognoſcere poſſibilia in ſeipſis immediatè: ſiue cum Thomiſtis cenſeas Deum ea cognoſcere in ſeipſo tanquam in medio.

25 Alterum conſectarium eſt falli, vehementer P. Vincentium, dum ſibi perſuadet *diſput. de ſci. med. ſect. 1. §. 2.* Scientiæ Mediæ patronos, *Omnia ſusque deque miſcere, ac nihil eſſe quod ſcribere non auſi ſint, aut intentatum reliquerint*, Vt argumenti ab ipſo propoſiti vim infringerent. Nam quæ hactenus dixi perſpicuè demonſtrant, non eam eſſe argumenti propoſiti vim, vt in ea infringenda vſque adeo elaborare debuerit illorum quos refert Theologorum induſtria.

Certe quando Vaſques, Ripalda & Ouiedo contendunt cum Nominalibus, Deum cognoſcere res poſſibiles, non in ſeipſo ſed in ſeipſis immediatè, neque de Scientiæ Mediæ defenſione ſolliciti ſunt, neque de labefectandâ vi argumenti P. Vincentij, de quo fortè ne per ſomnium quidem cogitaue-

rant. Nouerant enim, quod vel mediocriter in Theologia verſatos non latet, ſcientiam mediam perinde defendi poſſe, ſiue ſtatuas Deum creaturas poſſibiles in ſeipſo tantum cognoſcere, ſiue exiſtimes eas à Deo immediatè in ſeipſis cognoſci.

Quod attinet ad Suarem, imponit illi P. Vincentius dum ait, Suarem præter cognitionem diuinam creaturarum poſſibilium in eſſentia Dei tanquam in medio, admittere aliam, per quam cognoſcantur in ſeipſis immediatè. Quamuis enim Suarez lib.3.de Attributis c. 2. num. 14. probabile eſſe fateatur quod docent non pauci, Deum attingere creaturas poſſibiles cognitione habitâ per eſſentiam, vt medium incognitum, & vt vicem obit ſpeciei creaturarum: eam tamen ſententiam immerito Suari P. Vincentius affingit, cum illam Suarez loco laudato varijs argumentis impugnet, atque ijs quidem validioribus, quàm à P. Vincentio refellantur.

Digitized by Google

Caput Tertium.

Proponitur alterum P. Vincentij argumentum, & confutatur.

ALtera P. Vincentij aduerſus Scientiam Mediam argumentatio à priori hæc eſt, *diſp. de ſc. med. ſect. 1. Art. 2. §. 1.*

26 Scientia Media nulla eſt, aut plane inutilis ad eos vſus ad quos eſt inuenta, niſi futura conditionata habeant certam & determinatam veritatem, non ſolum ante decretum, ſed etiam prius ordine quam futura contingentia abſoluta: Atqui illud vtrumque falſum eſt: Ergo nulla eſt Scientia Media, vel certè inutilis ad eos vſus ad quos eſt inuenta.

Rem ſane magnam præſtaret P. Vincentius ſi quidpiam in medium adduceret, quo probaret minorem ſyllogiſmi propoſiti. Sed cum illa duabus partibus conſtet, ſic vtramque indiſtinctè inſequitur, vt nullam penitus aſſequatur. Audiendus tamen eſt, ne vim cuiuſcumque ratiunculæ diſſimulatam à me potius quam fractam conqueratur.

27 Primum, igitur, inquit *Ibidem* §. 1. veritatem determinatam futuris conditionatis conuenire ante decretum, ex triplici capite

Digitized by Google

colligunt Scientiæ Mediæ aſſertores. 1. Quod
in ijs dentur propoſitiones contradictoriæ.
2. Quod omnibus propoſitionibus ſit com-
mune, vt ijs conueniat veritas, aut falſitas.
3. Quod futurum ſit illud quod aliquando
habebit exiſtentiam. At rationes illæ aut
nullæ omnino ſunt, aut probant futuris con-
tingentibus abſolutis competere veritatem
determinatam ante decretum.

Superuacaneum fuerit explanare in quan- 28
tis peccet hæc argumentatio. Sed palmare
vnum eſt, quod propterea diſſimulari non
debet, nimirum authorem iſtum Scientiæ
Mediæ defenſoribus egregiè imponere, dum
ait eos ex triplici illo capite aſſerere verita-
tem futuris contingentibus conditionatis
ante decretum; nunquam enim, ac ne per
ſomnium quidem hoc illis venit in mentem.
Sed viſum eſt illi non incommodum fore
ſuæ cauſæ, ſi vt eius vtar verbis, *Omnia ſuſ-
que deque miſceret, & nihil intentatum relin-
queret*, Quò Scientiam Mediam labefactare
conaretur.

Fatentur quidem Scientiæ Mediæ patroni
è duabus propoſitionibus contradictorijs de
futuro contingenti, ſeu conditionato ſeu
abſoluto, alteram eſſe determinatè veram,
alteram determinatè falſam. Fatentur pariter
hoc eſſe commune omni propoſitioni, vt ſit
determinatè vera aut falſa. Fatentur demum
illud dici & eſſe futurum, quod aliquando

erit. At nemo eſt inter illos qui ijs dumtaxat innixus principijs concludat futurum contingens conditionatum eſſe determinatè verum ante decretum Dei ex parte obiecti conditionatum.

29 Ecce nouem aut decem argumenta proponit P. Annatus in ſuo opere de Scientia Media quibus euincit, dari futura conditionata quibus veritas determinata conueniat independenter ab omni decreto ex parte objecti conditionato; & tamen hæc inter argumenta nullum inuenies, quod ex triplici illo capite deducatur. Quorſum igitur P. Vincentius qui cum P. Annato prælium inire decreuerat, de argumentis ab illo Authore propoſitis ſilet, & alia ſibi fingit, quæ impugnet, quamuis ab aduerſario non proponantur; Rei tam inſolitæ cauſam erudito lectori indagandam relinquo, dum interim ad alterum propero P. Vincentij fundamentum.

30 Pergit igitur Author iſte, & probat *ſect. 1. Art. 2. § 3.* nullum contingens eſſe verè futurum ante decretum; Quia illud ſolum verè dicitur & eſt futurum quod eſt determinatum in cauſa vt aliquando ſit ſeu cuius cauſa habet actualem determinationem ad illud ponendum. At nullum contingens liberum eſt determinatum in cauſa, vt aliquando ſit ante decretum efficax Dei: Ergo nullum eſt determinatè futurum

futurum ante decretum efficax Dei.

Reſpondetur definitionem futuri, quæ huius argumentationis fundamentum & firmamentum eſt, non eſſe legitimam; eâ namque admiſſâ nulla actio libera cauſæ ſecundæ eſſet futura; quia nulla eſt, cuius cauſa in actu primo completa, & omnibus ad agendum prærequiſitis inſtructa, ſit determinata ad eam producendam, alioqui non foret actio libera, ſed neceſſaria; vt ſuo loco oſtendimus.

Quid eſt igitur futurum? illud nimirum 34
quod aliquando erit, ſeu quod aliquando habebit exiſtentiam, quemadmodum illud dicitur præteritum, quod aliquando fuit, ſeu quod aliquando habuit exiſtentiam. Ac quoniam inter illa quæ aliquando erunt, alia habent eſſe determinatum in ſuis cauſis vt aliquando ſint, vt ſunt effectus qui fiunt à cauſis neceſſarijs, alia non habent eſſe determinatum in ſuis cauſis; hinc eſt quod prioris generis futura dicantur futura in cauſa, poſterioris autem vocentur futura in ſe, ſeu in euentu.

Non potuit latere P. Vincentium hac deſcriptione futuri ſuæ huius argumentationis jugulum peti; idcircò vbi eam retulit ex P. Annato, continuò exclamat ibidem, hanc deſcriptionem futuri, *Eſſe omnino voluntariam, gratis confictam, ignotam Ariſtoteli.* Qui propterea negat propoſitionibus

contradictorijs de futuro contingenti veritatem determinatam conuenire, quia non eſt determinatio & inclinatio cauſæ ad vnam partem contradictionis.

Sed quid reſpondebit hic author, ſi demonſtrauero deſcriptionem futuri à P. Annato propoſitam, à S. Thoma, ab eius diſcipulis, atque ab ipſomet Ariſtotele traditam eſſe? num exclamare audebit, eam eſſe, *Voluntariam, gratis confictam, ignotam Ariſtoteli.*

25 Audiat igitur quâ tandem ratione futuri naturam exponant viri doctiſſimi. Ac primo quidem S. Thomas q. 12. de verit. Art. 10. ad 7. ait, *Aliquid poſſe dici futurum, non ſolum ex hoc quod ita erit, ſed quia ita eſt ordinatum in ſuis cauſis vt ſit futurum.* In quibus verbis duplex futuri genus agnoſcit Doctor Angelicus, nempe futurum in ſe, quod ita dicitur, quia *ita erit*, & futurum in cauſa, quod ſcilicet *Ita eſt ordinatum in cauſis vt ſit futurum*. Ex quo conſequenter concludit, fieri poſſe vt aliquid quod prius futurum erat, videlicet in cauſa ſeu ſpectato cauſarum ordine & diſpoſitione, reuerà non ſit futurum, nimirum in ſe, quia reipſâ non fiet, propterea quod impedientur eius cauſæ ne operentur.

Doctori Angelico conſonant eius diſcipuli, Dominicus Bannes, ad art. 13. q. 14. 1. partis. Ferrarienſis in caput 67. libri primi

Digitized by Google

contra gentes ; & Ioannes à S. Thoma tom. 1. in 1. p. diſput. 19. art. 1. num. 1. qui omnes vno conſenſu definiunt futurum in ſe, *Quod aliquando erit*, ſeu de quo aliquando erit *verum dicere*, hoc eſt, *ipſo demonſtrato*. Horum teſtimonia retuli diſput. 3. de Scientia Dei, c. 3. num. 12.

Quod attinet ad Ariſtotelem, illo ipſo loco vbi ſtatuit ex duabus contradictorijs de futuro contingenti neutram eſſe determinatè veram aut falſam, non aliter deſcribit futurum, quam *quod erit*, nuſquam autem definit futurum *quod eſt determinatum in cauſa vt aliquando ſit*. Quapropter ſi qua definitio futuri ignota Ariſtoteli dici poſſet, non alia ſanè, niſi illa quam P. Vincentius nobis obtrudit, vt omni futuro communem, cum ſoli futuro in cauſa conueniat.

Atenim, inquies, vt quid igitur Ariſtoteles negat futuris contingentibus determinatam veritatem quam agnoſcit in propoſitionibus de præſenti & de præterito? Reſpondeo, ſi legantur quæ ea de re ſcripſit Ariſtoteles in libris de interpretatione, continuò deprehendetur, non ideo id ab Ariſtotele negari, quod cenſeret futurum illud ſolum dici, quod habet eſſe determinatum in cauſa vt aliquando ſit: de hoc enim ne verbum quidem extat in illis libris: Sed propterea quod exiſtimaret, poſitâ veritate propoſitionis affirmantis rem aliquam eſſe fu-

Digitized by Google

turam, fieri non poſſe quin eſſet futura, ex quo falsâ ratiocinatione deceptus concludebat, rem illam neceſſariò fore, atque ita omnem adimi rebus contingentiam & libertatem.

Ac quoniam P. Vincentius ad veram rei cuiuſpiam futuritionem, non ſolum requirit, vt verum ſit dicere, quod aliquando habebit exiſtentiam; Sed poſtulat inſuper vt habeat aliquando ſuam exiſtentiam ex vi determinationis quæ fuerit in aliqua eius cauſa tempore præcedenti: operæ pretium fuerit, receptam apud omnes futuri definitionem aduerſus illum defendere, cûm ex propriis ipſius, tûm ex receptis apud Thomiſtas principiis.

26 Primûm igitur, vt actio aliqua libera, ſit determinatè præterita, nihil aliud requirit P. Vincent. niſi vt aliquando habuerit exiſtentiam, vt ait, exercitam, quæ ſuſtulerit omnem eius indifferentiam ad eſſe & non eſſe. Ergo vt actio aliqua libera ſit determinatè futura, nihil aliud requiri debet, niſi vt aliquando habitura ſit exiſtentiam, vt cum ipſo loquar, exercitam, quæ tollet omnem eius indifferentiam ad eſſe & non eſſe. Negat ille conſequentiam, & rationem adducit nullam, cur plus requirat ad rei cuiuſpiam futuritionem, quam ad eiuſdem præteritionem.

Confirmatur hoc ipſum comparatione

Digitized by Google

rei futuræ cum præſenti. Vt iſta propoſitio de præſenti ſit dereterminatè vera, Petrus hîc & nunc amat Deum, ſufficit, vt Petrus reipsâ hic & nunc eliciat actum amoris erga Deum: neque requiritur vt prius naturà aut tempore fuerit determinatus ad actum illum eliciendum. Modo enim illum actum eliciat, quamuis nulla præceſſerit determinatio ad illum eliciendum, vera ſemper erit hæc propoſitio, Petrus amat Deum, aut elicit actum amoris erga Deum. Ergo vt iſta propoſitio de futuro ſit determinatè vera, Petrus amabit Deum craſtina die, ſufficit vt de facto craſtina die Petrus eliciat actum amoris erga Deum, neque requiri debet vt in cauſis illius amoris præceſſerit prius tempore aut naturà aliqua determinatio ad illum actum amoris eliciendum; Quamuis enim nulla talis determinatio præceſſiſſet, modo de facto eliciatur actus ille à Petro craſtinà die, ſemper verum fuit dicere, Petrus eliciet hunc actum amoris craſtinà die, hæc namque propoſitio fuit ſemper conformis obiecto ſuo. Negabit fortè conſequentiam P. Vincentius, ſed cauſam cur eam neget, non ita facile reddet.

Senſit, opinor, ſuæ huius argumentationis vim adeo debilem eſſe, vt nullum Scientiæ Mediæ detrimentum afferre queat: Quapropter vt ei roboris aliquid conciliet, cûm domeſticorum tûm externorum implorat opem.

27 Ac primò quidem Tuiſſij Caluiniſtæ Elenchum adducit in medium, & in hunc modum argumentatur: *Tota veritas & notitia futurorum nititur tranſitu illorum à ſtatu poſſibilium ad ordinem futurorum, qui nec fieri, nec cognoſci poßit, niſi detur & cognoſcatur cauſa externa illius tranſitus. Atqui non poteſt concipi alia huius tranſitus cauſa externa præter voluntatis diuinæ decretum: Ergo in illa, & vi illius cognoſcuntur futura, non per Scientiam Mediam.* Paulò conformius ad Dialecticæ regulas argumentatur Tuiſſius. Placuit tamen P. Vincentio Elenchum huius authoris inuertere, vt eâ ratione faceret ſuum. Ad hunc igitur.

Reſpondeo 1. hoc argumento probari, non poſſe haberi à Deo certam notitiam iſtius veritatis, *ſi Deus vult efficaciter Petrum phyſicè prædeterminare ad conuerſionem conuertetur*, niſi actu & ab æterno detur in Deo decretum efficax circa huius conuerſionis futuritionem conditionatam. Etenim iuxta P. Vincentium tota veritas & notitia futurorum nititur tranſitu illorum à ſtatu poſſibilium ad ordinem futurorum, qui tranſitus nec fieri nec cognoſci poteſt, niſi detur cauſa illius extrinſeca, nempe decretum efficax quod ſit actu & ab æterno in Deo: Ergo cum conuerſio Petri ſit verè futura, ſi Deus eum phyſicè prædeterminet ad conuerſionem, veritas & notitia huius fu-

Digitized by Google

turitionis niti debet tranſitu huius conuerſionis à ſtatu poſſibilis ad ſtatum futuri, qui tranſitus eſſe nequit niſi detur cauſa illius extrinſeca, nempe decretum conditionatum quod actu exiſtat in Deo. Et tamen hoc ipſum negat P. Vincentius; diuellat igitur ipſemet aut rumpat, ſi poteſt, quem connexüit nodum, tum videbimus, quid reſpondere ipſi debeamus.

Reſpondeo 2. condonandum eſſe P. Vincentio, illud ipſum quod P. Annatus Tuiſſio remittit. Is enim cum Tuiſſio tranſitum agnoſcit, vbi non eſt. Nam vt res aliqua tranſeat ab vno ſtatu in alium, neceſſe eſt, vt prius tempore fuerit in illo ſtatu à quo in alium tranſire dicitur, Vt Paulus ex. c. à ſtatu nigri tranſeat ad ſtatum albi, requiritur vt prius tempore fuerit niger; vt tranſeat à ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ, requiritur vt prius tempore fuerit in ſtatu peccati. Atqui res quæ eſt futura ſeu abſolutè ſeu conditionatè nunquam fuit in ſtatu meræ poſſibilitatis, quatenus mera poſſibilitas opponitur omni futuritioni tam abſolutæ quam conditionatæ, cum res illa ſit ab æterno futura, vt ſupponit vterque. Ergo res futura, verè non tranſit à ſtatu meræ poſſibilitatis ad ſtatum futuritionis. 28

Diſplicet P. Vincentio iſta doctrina, & contra P. Annatum contendit, ad hoc vt res aliqua verè tranſeat ab vno ſtatu in alium,

ſufficere, vt huic rei debeatur ex propriis meritis ſtatus ille à quo tranſit in alium. Ita, inquit, loco relato §. 4. quamuis Angelus fuiſſet ab æterno productus, vt fieri potuit, diceretur tamen tranſiſſe à non eſſe ad eſſe; licet enim eius non eſſe nunquam fuiſſet in data hypotheſi, quia tamen ex propriis meritis Angelo debetur non eſſe, ſatis eſt vt dicatur tranſiſſe à non eſſe ad eſſe.

29 Sed hæc reſponſio multa continet inſigniter falſa. Primùm ſupponit cuilibet creaturæ deberi ex propriis meritis non eſſe, & carentiam omnis futuritionis: hoc autem falsò ſupponitur; cum enim creatura quælibet ſpectata ſecundum ſe ſit indifferens ad eſſe & non eſſe, ad futuritionem & non futuritionem, non exigit ſecundum ſe non eſſe nec carentiam omnis futuritionis, ac proinde ipſi ex propriis meritis non debetur non eſſe, nec carentia omnis futuritionis: Quinimo ſi creaturæ poſſibili quidpiam deberetur, eſſet maximè futuritio conditionata; Cum nulla ſit creatura poſſibilis, quæ ſub aliqua conditione non ſit futura.

Deinde quamuis hoc daremus P. Vincentio, nempe cuilibet creaturæ ex propriis meritis deberi non eſſe & carentiam omnis futuritionis: adhuc tamen falſum eſſet, hoc ſufficere, ad hoc vt res aliqua verè dicatur tranſire à non eſſe ad eſſe, à ſtatu merè poſſibilis ad ſtatum futuri, fac enim hominem

aliquem

Digitized by Google

aliquem inter Æthiopas natum, ex natura proprij temperamenti debere eſſe nigrum; natum tamen fuiſſe album per miraculum, & nunquam fuiſſe nigrum ſed ſemper album: Nemo dixerit hominem illum tranſiſſe à ſtatu nigri ad ſtatum albi, & ex nigro factum fuiſſe album; quia videlicet tametſi ex propriis meritis debuerat eſſe niger, re tamen ipſa nunquam fuit niger, quod tamen requiritur, vt verè dicatur tranſire à ſtatu nigri ad ſtatum albi. Ergo vt aliquid verè dicatur tranſire ab vno ſtatu in alium, non ſufficit vt ſtatus à quo tranſire dicitur, illi debeatur ex propriis meritis, ſed requiritur, vt prius tempore fuerit in eo ſtatu à quo tranſit in alium. Ideoque ſi Angelus ſupponeretur fuiſſe ab æterno, verè non tranſiſſet à non eſſe ad eſſe, quia nunquam fuiſſet in ſtatu non eſſe.

Reſpondeo 3. ſubuereri me plurimum, ne 30
qui hoc argumento Scientiam Mediam cum Tuiſſio impugnant, ſub nomine tranſitus à ſtatu poſſibilitatis ad ſtatum futuritionis, myſterium aliquod ſibi fingant, aut ſaltem latere putent, vbi nullum eſt.

Etenim ſi ex eo quod de re quæ aliquando futura eſt ſeu conditionatè, ſeu abſolutè, verè dici potuit ab æterno, eam eſſe futuram, ſeu aliquando fore, vellet quiſpiam inferre rei huius futuritionem eſſe aliquid reale quod fuerit ab æterno, quodque proinde

Digitized by Google

habuerit ab æterno cauſam aliquam à qua fieret; Erraret ſine dubio, & loco veræ futuritionis, inane nobis figmentum obtruderet. Quamuis enim nihil tale ſit ab æterno, modo tamen res aliqua ſit de facto ponenda aliquando, verè de illa potuit ab æterno pronunciari, quod ſit futura.

31 Hinc colligo 1. tranſitum rei cuiuſpiam à ſtatu poſſibilitatis ad ſtatum futuritionis, non includere aliquid reale ac poſitiuum, quod ſit ab æterno, quodque aliquam ſui cauſam poſtulet, quæ pariter ſit ab æterno: Ratio eſt quia tranſitus ille ex parte *termini à quo*, nihil aliud petit iuxta P. Vincentium niſi rem illam quæ tranſire dicitur, talem eſſe, vt ei ex propriis meritis debeatur, eſſe merè poſſibilem & non eſſe futuram. Ex parte *termini ad quem* tranſitus ille nihil aliud ſignificat, niſi rem illam eſſe aliquando ponendam à ſuis cauſis. Ergo tranſitus ille non includit aliquid reale quod ſit ab æterno, neque ex parte termini à quo, neque ex parte termini ad quem, ſed ſignificat tantum, rem aliquam cui ex propriis meritis debetur vt nunquam ſit, eſſe aliquando ponendam à ſuis cauſis.

32 Colligo 2. cauſam tranſitus rei à ſtatu poſſibilis ad ſtatum futuri, aliam eſſe non poſſe, niſi illam à qua de facto producitur res illa tempore conſequenti, ſi eſt abſolutè futura, aut à qua produceretur ſi ponere-

tur certa conditio, quando res eſt tantum futura ſub conditione. Ratio eſt, quia tranſitus rei cuiuſpiam à ſtatu poſſibilis ad ſtatum futuri, nihil aliud ſignificat, vt iam dixi, niſi rem illam cui ex propriis meritis debetur vt nunquam ſit, eſſe aliquo tempore conſequenti ponendam. Ergo quærere cauſam illius tranſitus, eſt quærere cauſam à qua res illa ponenda eſt tempore conſequenti: Atqui hæc alia non eſt, nec eſſe poteſt, niſi cauſa illa à qua reipsâ producetur tali tempore, ſi res eſt abſolute futura, aut à qua produceretur poſitâ certâ conditione, ſi res eſt tantum conditionatè futura. Quis enim dixerit cauſam à qua res aliqua eſt producenda tali tempore, eſſe diuerſam ab ea per quam tali tempore producetur? Ergo cauſa tranſitus rei cuiuſpiam à ſtatu poſſibilis ad ſtatum futuri, alia non eſt, niſi ea per quam res illa tempore conſequenti producetur.

Colligo 3. falli P. Vincentium dum gratis & abſque fundamento pronunciat, non 33
poſſe concipi aliam huius tranſitus cauſam præter voluntatis diuinæ decretum; fruſtra namque ad extrinſecum Dei decretum recurrit, cum huius tranſitus cauſa in promptu ſit. Nam ſi res aliqua putà conuerſio peccatoris cuiuſpiam ad Deum, eſt abſolutè futura, cauſa tranſitus huius conuerſionis à ſtatu poſſibilitatis ad ſtatum futuritio-

nis abſolutæ , eſt illa ipſa quæ abſolutè illam conuerſionem efficiet certo tempore ; Hæc autem eſt voluntas ipſius peccatoris adiuta auxilio diuinæ gratiæ , & aliis omnibus ad conuerſionem prærequiſitis inſtructa: Sin autem conuerſio illa eſt futura tantum conditionatè , vt conuerſio Tyriorum , ſi apud ipſos factæ fuiſſent virtutes , quæ factæ ſunt apud Iudæos : cauſa tranſitus huius conuerſionis à ſtatu poſſibilitatis ad ſtatum futuritionis conditionatæ , eſt illa ipſa per quam poneretur illa conuerſio , ſi tales virtutes apud Tyrios factæ fuiſſent : hæc autem ipſa Tyriorum voluntas eſt, quæ talibus medijs inſtructa illam conuerſionem efficeret.

Certè ſi tranſitus ille à ſtatu poſſibilitatis ad ſtatum futuritionis , includeret aliquid reale , quod eſſet ab æterno , eſſet illi quærenda cauſa , quæ eſſet ab æterno , & tunc alia non poſſet excogitari præter diuinæ voluntatis decretum. Sed cum tranſitus ille nihil aliud ſignificet , vt ſæpius dixi , niſi rem quæ tranſire dicitur ad ſtatum futuritionis , eſſe ponendam tali tempore conſequenti aut abſolutè , aut conditionatè, planè abſurdum eſt , aliam quærere cauſam huiuſmodi tranſitus , ab ea quæ tali tempore rem illam efficiet , aut abſolutè , aut conditionate.

Colligo 4. ex doctrina iam tradita ſolui
34 facile poſſe Elenchum , aut vt verius loquar

Digitized by Google

Paralogiſmum Tuiſſij, qui ſic habet. Omne quod tranſijt ab æterno, de conditione merè poſſibilis ad conditionem futuri, ſupponit ab æterno aliquam illius tranſitus cauſam; futurum quod dicitur conditionatum tranſijt ab æterno de conditione merè poſſibilis in conditionem futuri. Ergo futurum conditionatum debuit ſupponere ab æterno illius tranſitus cauſam.

Atque, vt manifeſtior fiat hujus argumenti Sophiſtica cauillatio, exponendus eſt ſenſus maioris & minoris propoſitionis. Primò ſenſus maioris propoſitionis poteſt eſſe iſte, *Omne quod tranſijt ab æterno*, &c. id eſt omne illud de quo vere affirmari potuit ab æterno, quod ſit aliquando ponẽdum, ſeu abſolutè ſeu conditionatè, debet ſupponere ab æterno cauſam, per quam ponetur illo tempore aut abſolutè aut conditionatè; Et tunc maior illa eſt manifeſtè falſa; cum enim illud quod tranſire dicitur, non ponatur ab æterno, ſed tantum ponendum ſit tempore conſequenti, non requirit cauſam quæ ſit ab æterno, ſed requirit cauſam quæ tunc exiſtat quando ponetur. Secundò, ſenſus eiuſdem propoſitionis, poteſt eſſe iſte. *Omne quod tranſijt, &c.* Hoc eſt, omne illud quod ab æterno habet aliquid reale ac poſitiuum, ratione cuius dicitur ex merè poſſibili fieri futurum, ſupponit ab æterno aliquam cauſam illius entis realis ac poſitiui quod accipit ab æterno. Atque hoc

ſenſu intellecta maior concedi poteſt Tuiſſio & P. Vincentio, ſi eam ambo hoc ſenſu vſurpant.

Quod attinet ad minorem, eodem planè modo diſtingui debet: nam ſi in priori ſenſu accipitur in quo maior propoſitio expoſita fuit: concedi debet, cum veriſſima ſit: omne enim futurum conditionatum eſt tale, vt de illo vere affirmari potuerit ab æterno, quod ſit aliquando ponẽdum ſi ponatur certa conditio. Sin autem minor vſurpatur in poſteriori ſenſu in quo maior accipi poteſt; dico eam eſſe apertiſſimè falſam, & conſequentiam quæ inde deducitur.

35 Neque verò diſſimulandum eſt aduerſariorum artificium in ſuo illo Sophiſmate concinnando, norunt enim Scientiæ Mediæ defenſores, nomine futuri illud intelligere quod aliquando erit, ſeu quod eſt ponendum à ſuis cauſis certo tempore conſequenti, vel abſolutè, ſi eſt abſolutè futurum, vel conditionatè, ſi eſt futurum ſub conditione; norunt inſuper ab eiuſdem Scientiæ patronis cauſam afferri facilè poſſe, à qua res contingens accipiat eſſe futuram, nempe illam ipſam cauſam ſecundam in actu primo completam, per quam res illa reipſâ ponetur tali tempore conſequenti, aut abſolutè, ſi res eſt abſolutè futura, aut conditionatè, ſi eſt futura ſub conditione. Quocirca vt minus peritis perſuadeant cauſam aliam hu-

Digitized by Google

ius futuritionis admitti debere, quæ ſit ab æterno, videlicet diuinæ voluntatis decretum efficax, ad verborum inuolucra confugiunt, & fingunt neſcio quem tranſitum ab æterno, rei contingentis, à ſtatu poſſibilis ad ſtatum futuri.

Cæterum ſi ſciſcitaris ab ijs, vt palam & citra verborum ambages aperiant, quid intelligant per tranſitum illum ab æterno, rei contingentis, à ſtatu poſſibilis ad ſtatum futuri; tum verò deprehendes totam argumenti ab ipſis propoſiti vim in ſolis vocibus poſitam eſſe; Etenim quando dicunt rem futuram tranſire ab æterno à ſtatu poſſibilis ad ſtatum futuri, vel intelligunt aliquid aliud præter iſtud, nimirum rem quæ futura dicitur, & quæ ex ſe eſt indifferens ad eſſe & non eſſe, ponendam eſſe à ſuis cauſis certo tempore conſequenti: ex quo fit vt de illa verè affirmari queat ab æterno, quod ſit aliquando ponenda à ſuis cauſis: Vel certè intelligunt aliquid aliud; ſi hoc poſterius admittunt; mentem ſuam nobis aperiant, & explicent quid illud ſit, quod ſub nomine huius tranſitus ab æterno latere volunt. Sin autem nihil aliud intelligant præter illud quod retuli, ſi id attentius inſpiciant, continuò deprehendent ex eo nullâ ratione concludi poſſe, eſſe neceſſarium ex parte Dei decretum efficax, aut abſolutum, aut conditionatum, à quo tranſitus ille tanquam à cauſa promanet.

Digitized by Google

36 Obijcit præterea P. Vincentius *ibidem* §. 6. ſi futura conditionata certò cognoſcuntur à Deo inconſultâ voluntate, & nullâ determinatione cauſarum præuiâ, ſequitur manifeſtè perinde cognoſci certò futura abſoluta; Hoc autem eſt abſurdum, & Scientiam Mediam & conſilia omnia aduerſariorum euertit.

Reſpondeo, vt futura conditionata, ita & abſoluta certò cognoſci à Deo independenter à Decreto Dei efficaci, tanquam à medio, in quo cognoſcantur, hoc enim decretum neque requiritur vt res contingens, ſeu actio libera cauſæ ſecundæ, ſit abſolutè futura, neque requiritur vt medium in quo Deus illam certò cognoſcat. Fateor equidem requiri neceſſario decretum aliquod actuale ex parte Dei, per quod Deus exhibeat concurſum ſuum cauſæ liberæ ad ponendum illum effectum tempore conſequenti; ſed nego decretum illud eſſe efficax ac prædefiniens; nego pariter eſſe medium in quo Deus certò cognoſcat rem eſſe futuram, cum illud non ſit magis connexum cum rei futuritione aut exiſtentia, quam ipſa cauſa ſecunda. Hanc vero doctrinam ſi abſurdam cenſet P. Vincentius, & Scientiæ Mediæ contrariam, expectamus vt probet; nos enim & veram eſſe contendimus, & Scientiæ Mediæ principijs omnino conformem eſſe videmus.

37 Obijcit inſuper *ibid* §7. Idem Author ex

Anonymo

Digitized by Google

Anonymo; vel Deus cognoſcit futura conditionata in ſuis cauſis, vel inſeipſis: nam duobus his tantum modis cognoſci poſſunt futura contingentia, vt tradit S. Thomas 1. p. q. 14. Art. 13. Atqui futurum conditionatum neutro modo cognoſcitur ergo,&c.

Reſpondeo hoc argumento non tam Scientiam Mediam, quam Thomiſtarum doctrinam euerti. Siquidem docent Thomiſtæ Deum certò cognoſcere futura contingentia in ſuis cauſis completis; nam vt completæ ſunt ad agendum, includunt iuxta ipſos decretum Phyſicè prædeterminans: hoc autem diſertè reijcitur à S. Thoma in loco laudato, vbi ait futurum contingens non poſſe certò cognoſci in ſuis cauſis, cum in illis non habeat veritatem determinatam. Fauet autem è contrario, S. Thomæ doctrina defenſoribus Scientiæ Mediæ, qui ſtatuunt Deum & futura abſoluta, & conditionata certò cognoſcere, prout actu exiſtunt in certa temporis conſequentis differentia, ſeu abſolutè, ſi ſunt abſolutè futura, ſeu conditionatè, ſi ſunt conditionatè futura.

Quapropter fallitur P. Vincentius dum ſibi 38
perſuadet tertium genus cognitionis innominatum, conſtituendum eſſe Scientiæ Mediæ defenſoribus. Neque enim alio cognitionis genere indigent, quam quod S. Thomas in Deo cognoſcit. Neque aliud admiſit P. Annatus, vt falſò ſupponit P. Vincentius.

Digitized by Google

Is namque diſertiſſime tradit; Quando S. Thomas docet futurum conſiderari poſſe in ſeipſo ſecundum quod actu eſt, intelligi poſſe de actu qui vel abſolutè ponitur, vel conditionatè; idcirco inquit, non multiplicantur modi cognoſcendi futura, ſed idem modus cognoſcendi futura prout ſunt in ſe ipſis, iterum diuiditur ob diuerſam rationem futuri: cum enim vnum ſit abſolutè futurum, alterum conditionatè; hinc fit vt vnum videatur à Deo prout eſt actu abſolute in ſeipſo, alterum videatur prout eſt in certa differentia temporis conditionatè, id eſt ſi ponatur certa conditio.

Hæc eſt præcipua P. Annati reſponſio ad argumentum Anonymi; Eam autem diſſimulare maluit P. Vincentius quam refellere: Et tamen, quod mirari ſatis non poſſum, ſub finem eiuſdem paragraphi triumphum canit quaſi de parta victoria, audacterque pronunciat §. 7. nihil aliud P. Annati operâ atque labore factum eſſe, niſi vt apertum fuerit in Scientia Media propugnanda *Molinæ vitium, & aucta ædificij Scientiæ Mediæ ruina.*

Alia coaceruat argumenta P. Vincentius ex eodem Anonymo. Sed hæc à me relata, & confutata ſunt diſput. 4. de Scientia Dei c. 3. Ideoque ſuperuacaneum fuerit illa retexere, præſertim cum nihil afferat nouâ reſponſione dignum.

Digitized by Google

Vnum eſt quod prætermitti non debet, nimirum P. Vincentium quamuis ſe demonſtraturum promiſerit, Scientiam Mediam Scientiâ Viſionis nullo modo eſſe priorem, promiſſum tamen non efficere, ſed duo dumtaxat P. Annato affingere ab eius mente penitus aliena. 39

Primûm enim ſupponit P. Annatum concedere Scientiam Mediam eſſe priorem Sciẽtiâ Viſionis, *Et illi prælucere ſicut intellectionem volitioni : & illi præire ſicut generationem verbi, proceſſioni Spiritus Sancti.* At hoc nullibi tradit P. Annatus.

Contendit ille quidem diſput. 2. de ſci. med. c. 1. num. 17. negari non poſſe in Deo duplex genus prioritatis, vna eſt prioritas in ſubſiſtendi conſequentia, qualis eſt inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ & Scientiam viſionis, prior enim eſt in Deo ſine poſteriori, non ècontra. Altera eſt prioritas quæ tribuitur intellectioni reſpectu volitionis cui prælucet, & proponit objectum in quod tendat. Cæterum prioritatem huiuſmodi nunquam tribuit P. Annatus Scientiæ Mediæ reſpectu Scientiæ Viſionis, ſed ſolam dumtaxat prioritatem in ſubſiſtendi conſequentia, quam ei negare non audet P. Vincentius.

Alterum quod P. Annato alijſque Scientiæ Mediæ aſſertoribus attribuit P. Vincentius, eſt, Scientiam Mediam ideo eſſe priorem

Digitized by Google

Scientiâ Viſionis, quia de futuris contingentibus conditionatis dantur propoſitiones contradictoriæ, & quia futurum eſt illud quod aliquando erit; ſed aberrat à vero quam longiſſimè; Etenim inter Scientiæ Mediæ aſſertores, nemo vnus eſt qui huiuſmodi medijs vſus ſit, vt Scientiæ Mediæ prioritatem in ſubſiſtendi conſequentia, ſupra Scientiam Viſionis conſtabiliret.

CAPVT QVARTVM.

Expenditur Tertia P. Vincentij aduerſus Scientiam Mediam argumentatio.

VT argumentationi tertiæ viam muniat P. Vincentius, de propoſitione hypothetica multa diſputat, ſed cum eius naturam non ſatis explicet, non abs re fuerit pauca præmittere, ex quibus apertè conſtabit, tertium hunc illius conatum in Scientiam Mediam, prioribus duobus nec validiorem eſſe nec feliciorem.

40 Notandum igitur 1. propoſitionem hypotheticam eſſe propoſitionem complexam ſeu compoſitam, quæ per particulam *Si*, ſignificat conſequens ſequi ex antecedente. Hujus generis eſt hæc propoſitio, *Si ſol lucet, Dies*

Digitized by Google

eſt; nam & propoſitio complexa eſt, cum duas ſimplices contineat: & per particulam *Si* deſignat conſequens ſequi ex antecedente. Eiuſdem generis eſt iſta. *Si Petrus interrogetur ab Ancilla in domo principis Sacerdotum, Chriſtum negabit*; nam & duabus propoſitionibus ſimplicibus conſtat, & conſequens ſequitur aliquo modo ex antecedente; quatenus interrogatio facta Petro ab ancilla, eſt aliquo modo cauſa cur Chriſtum neget. Ita pariter hypotheticæ ſunt iſtæ propoſitiones, quas Dominicus Soto in ſummulis *promiſſorias*, ſeu conuentionales nuncupat, *Si diſputando viceris, dabo tibi librum; ſi per decem dies in vinea mea laboraueris, dabo tibi centum nummos. Si impius pœnitentiam egerit, omnium iniquitatum eius non recordabor. Si percuſſiſſes terram quinquies aut ſexies, percuſſiſſes Syriam vſque ad conſummationem*, lib. 4. Reg. c. 13. Quamuis enim in his & alijs eiusmodi propoſitionibus non ſit connexio inter antecedens & conſequens, nec vlla dependentia vnius ab alio, ſi ſpectentur ſecundum ſe, & ſecundum propriam extremorum naturam: ratione tamen promiſſionis aut conuentionis quæ in ijs propoſitionibus includitur, vnum ſequitur ex alio, ſaltem tanquam à conditione; ideoque verè hypotheticæ ſunt. Contra verò propoſitiones iſtæ, quæ diſparatæ dicuntur, *Si Turca dormit, Imperator ludit; Si Petrus currit,*

Paulus cantat, & eiusmodi aliæ verè hypotheticæ non ſunt, quia nulla eſt connexio inter antecedens & conſequens, nulla dependentia vnius ab alio, aut ex natura rei, aut ex aliqua extrinſeca promiſſione.

41 Notandum 2. propoſitionem hypotheticam, aliam eſſe veram ratione formæ ſeu illationis, qualis eſt ea cuius antecedens eſt ita connexum cum conſequente, vt antecedens non poſſit eſſe verum, niſi ſit verum conſequens; Aliam autem eſſe veram ratione materiæ, cuius nimirum conſequens ſequitur reipſâ ex antecedente, & ab illo dependet, quamuis poſſit abſolutè non ſequi: vnde non valet illatio ab antecedēte ad conſequens. Primi generis eſt iſta, *ſi ſol lucet, Dies eſt*, quia conſequens ita ſequitur ex antecedente, vt antecedens non poſſit eſſe verum, niſi ſit verum conſequens; vnde valet illatio ab antecedente ad conſequens; ideoque propoſitio hæc nuncupatur à ſummuliſtis *rationalis*, aut *illatiua*. Secundi generis eſt iſta, *Si Petrus interrogatur ab Ancilla, Chriſtum negabit*. Et iſta, *Si Dauid remaneat in ciuitate Ceylam, tradetur à ciuibus in manus Saül*. In illis enim conſequens ita ſequitur ex antecedente, vt poſſit abſolutè eſſe antecedens, quamuis non ponatur conſequens: Ideoque hæ illationes legitimæ non ſunt, *Petrus interrogatur ab ancilla, ergo Chriſtum negat. Dauid remanet in ciuitate*

Digitized by Google

Ceylam, ergo traditur in manus Saül. Quia fieri poteſt abſolutè, vt ſtante veritate antecedentis, ſit falſum conſequens.

His ita conſtitutis controuerſia eſt, vtrum obiectum propoſitionis conditionatæ, cuius conſequens pendet contingenter ab antecedente, certò cognoſci poſſit à Deo, independenter à decreto ex parte obiecti conditionato.

Negat P. Vincentius, *diſp. de ſci. med. ſect. 1. Art. 3. §. 1.* hoc maximè principio fultus. 42
Non poteſt haberi certior cognitio huius obiecti, quam firma ſit connexio extremorum, ſeu dependentia conſequentis ab antecedente; nam propoſitio hypothetica ſequitur omnino conditionem obiecti ſui: ideoque eſt certa & infallibilis, ſi eius obiectum eſt neceſſarium; dubia vero aut veriſimilis, ſi obiectum eſt contingens.

Sed permirum profectò eſt P. Vincentium 43
luculentam & in medio conſpectu poſitam. huius principij falſitatem minimè vidiſſe. Ecce enim Paulum intueor in porticu ambulantem, firmiterque pronuncio *Paulus in porticu ambulat*; Iudicium illud non ſolum eſt verum, ſed etiam certum ac euidens, & tamen illius obiectum eſt planè contingens; Paulus enim liberè omnino in porticu ambulat, poteſtque non ambulare; falſum eſt igitur in propoſitionibus abſolutis non poſſe haberi certiorem obiecti cognitionem, quam firma

ſit connexio extremorum eiuſdem obiecti. Quod ſi propoſitio abſoluta non ſequitur ſemper quantum ad veritatem, conditionem obiecti ſui; vnde concludet P. Vincentius, id eſſe tribuendum propoſitioni conditionatæ.

44 Deinde ſi tale principium admitteretur, aut neganda eſſet Deo actionum humanarũ præſcientia aut imponeretur hominibus agendi neceſſitas. Etenim iuxta principium illius, propoſitio hypothetica, atque adeo abſoluta, (cum par eſſe debeat hac in re vtriuſque conditio) ſequitur omnino conditionem materiæ circa quam verſatur; Ideoque certa eſt & infallibilis, ſi materia eſt neceſſaria, dubia verò atque incerta, ſi materia eſt contingens. Ergo cum fide diuinâ conſtet, præſcientiam Dei eſſe certam & infallibilem, aut nulla datur circa actiones humanas, aut illæ fiunt ab hominibus neceſſariò. Atqui fides Chriſtiana vtrumque reſpuit: Ergo principium à P. Vincentio propoſitum, ex quo deducuntur conſecutiones tam conſpicuæ & exploratæ falſitatis penitus eſt reijciendum.

45 Hinc Lector eruditus intelliget, multò, iactantiùs gloriari P. Vincentium *ibidem* §.2. de argumenti ab ipſo propoſiti vi, quaſi vero tanta ſit, vt Scientiæ Mediæ defenſores. *Fateri cogantur pro cognoſcendis conditionatis diſparatis, neceſſaria eſſe decreta abſoluta quoad Deum, & conditionata, quoad obie-*

ctum

ctum. Cum enim principium cui eius argumentatio innititur, ſit apertiſſimè falſum, nemoque ſit inter aſſertores Scientiæ Mediæ, qui illud vti falſum non reſpuat; Quis non obſtupeſcat, cum hæc verba legerit apud P. Vincentiũ. *Huius argumenti tanta eſt vis, vt aduerſarij cogãtur fateri pro cognoſcendis conditionatis diſparatis eſſe, neceſſaria decreta abſoluta quoad Deũ, & cõditionata quoad obiectũ.*

Si inter defenſores Scientiæ Mediæ plerique admittunt decreta conditionata in conditionatis diſparatis: hæc ideo admittunt, quia ſi deeſſet promiſſio conditionata ex parte Dei, extrema illa diſparata, non eſſent verè conditionata; ad hoc enim requiritur connexio ſeu dependentia aliqua conſequentis ab antecedente: At inter extrema diſparata nulla eſt dependentia vnius ab alio ex natura rei: Ideoque ſi nulla pariter ſit inter illa connexio, ratione alicuius promiſſionis extrinſecæ; verè conditionata non ſunt. Ita in hac propoſitione lib. 4. Reg. c. 13. *Si percuſſiſſes terram ſexies, percuſſiſſes Syriam vſque ad conſumptionem.* Certum eſt nullam eſſe connexionem inter conſumptionem Syriæ, & percuſſionem terræ ſepties, ſi extrema illa ſpectentur ſecundũſé; ſed ſi dicamus eſſe inſuper promiſſionem ex parte Dei, quâ ſpondet effecturum ſe, vt rex Iſraël percutiat Syriam vſque ad conſumptionẽ ſi terram ſexies percuſſerit, tunc intel-

Digitized by Google

ligitur quomodo conſequens ratione huius promiſſionis pendeat ab antecedente, quod requiritur ad rationem obiecti conditionati.

Hinc è contrario colligitur inutilitas decreti conditionati in futuris conditionatis, quæ diſparata non ſunt: In ijs enim reperitur ſufficiens dependentia conſequentis ab antecedente, abſque huiuſmodi decreto: Ergo eſt prorſus inutile ad veritatem horum conditionatorum.

46 At inſtat, & ait, difficultatem eſſe inſuperabilem, vnde cognoſcatur futurum conditionatum, cuius conſequens pendet contingenter ab antecedente, ſi non cognoſcitur in decreto conditionato; verum difficultatem hanc quatuor abhinc ſæculis ſuperauit Doctor Angelicus, dum docuit futura contingentia non cognoſci à Deo prout ſunt in ſuis cauſis; de ijs quippe vt ſunt in ſuis cauſis, *non poteſt*, inquit, *haberi niſi cognitio coniecturalis*; ſed cognoſci prout ſunt actu in ſeipſis aut abſolutè aut conditionatè. Quod ſi hac reſponſione difficultatem propoſitam ſuperari non cenſet P. Vincentius fateatur neceſſe eſt, eam eſſe difficultatis huiuſce vim, vt vel à S. Thoma non potuerit ſuperari.

Sin autem contendat peti à nobis principium cum reſpondemus, Deum hæc futura cognoſcere prout actu exiſtunt certo tempore, aut abſolutè aut conditionatè. Fateri

Digitized by Google

debet peti quoque principium à S. Thoma, dum ait futurum contingens non cognoſci certò in ſuis cauſis, ſed prout eſt actu in ſcipſo.

Vrget iterum idem Author, *alio*, vt ait, *Argumento difficillimo, cuius non poteſt expectari ſolutio, niſi cum manifeſta petitione principij: Si futurum*, inquit, *hoc ipſo quod aliquando erit, habet certam veritatem cognoſcibilem, cur negas à nobis, aut ab Angelis cognoſci.* 47

Sed cum S. Thomas multò ante defenſores Scientiæ Mediæ docuerit; futurum contingens certò cognoſci à Deo, quia aliquando erit, aut abſolutè aut conditionatè; Vrgendus eſt argumento illo difficillimo, & interrogandus, ſi futurum contingens certam habet veritatem hoc ipſo quod aliquando erit, cur neget hæc à nobis aut ab Angelis cognoſci; Num forte exiſtimat, etiam à tanto doctore quæſtionis huius difficillimæ ſolutionem expectari non poſſe, niſi cum manifeſta petitione principij? Sed audiat quid ad illam reſpondeat Doctor Angelicus, vt inde intelligat expectare à nobis non debuiſſe, quod inuenire poterat in S. Thoma. Is ergo 1. 48
p. q. 57. Art. 3. quærit vtrum Angeli cognoſcant futura. Ad hoc autem reſpondet *Futurum dupliciter cognoſci poſſe, vno modo in cauſa ſua*, vt ſunt futura quæ ex neceſſitate proueniunt ex ſuis cauſis. *Et hic*, inquit

modus cognoſcendi futura adeſt Angelis, & tantò magis quam nobis, quanto magis rerum cauſas & vniuerſalius & perfectius cognoſcunt. Alio modo cognoſcuntur futura in ſeipſis. Eiuſmodi ſunt contingentia, hoc eſt, quæ fiunt contingenter & liberè à ſuis cauſis. *Et ſic*, inquit, *ſolius Dei eſt futura cognoſcere, quia vnus Dei intuitus fertur in omnia quæ aguntur per totum tempus, ſicut in præſentia, & videt omnia vt in ſeipſis ſunt.* Id autem oritur ex infinita perfectione diuinæ intellectionis, ratione cuius fit vt omnem omnino veritatem attingat, quocunque tempore fiat, perinde ac ſi eſſet præſens; non poteſt autem ſimile quidpiam aſſeri, de intuitu Angeli, qui cum ſit finitæ & limitatæ perfectionis, non poteſt ea quæ reipſa actu non exiſtunt, ſed futura ſunt certò cognoſcere.

Quod ſi quis inſtet, Angelum non cognoſcere res per ſpecies ab iis acceptas, vt ſolet homo, ſed per ſpecies innatas & vniuerſales, quæ cum ſe habeant æqualiter ad præterita, præſentia & futura, debet per eas Angelus futura perinde ac præſentia cognoſcere.

Reſpondet S. Thomas ibidem, quamuis ſpecies Angelis innatæ, ſe habeant æqualiter ad præterita, præſentia, & futura; tamen præſentia, præterita, & futura non ſe habent æqualiter ad illas ſpecies. Siquidem ea quæ

Digitized by Google

ſunt præſentia habent naturam per quam re-ipſa aſſimilantur ſpeciebus quæ ſunt in mente Angeli; & ideo per eas ſpecies ab Angelo cognoſci poſſunt. At quæ futura ſunt, cum nondum habeant naturam per quam aſſimilentur ſpeciebus Angeli, hinc eſt cur per eas non cognoſcantur;

Hæc eſt vera ac genuina mens S. Thomæ, quam ſi probat P. Vincentius, victam fateatur expectationem ſuam, emendetque illud quod tam ingenti confidentià dixit, quæſtionem propoſitam, cur Deus cognoſcat futura contingentia, non Angeli, ita eſſe difficilem, vt *eius expectari ſolutio non poßit, niſi cum manifeſta petitione principij*. Sin autem improbat S. Thomæ doctinam, non ægre feret, cum viderit Scientiæ Mediæ defenſores veram S. Thomæ mentem aduerſus ipſum defendere, atque à petitione principij vindicare.

Ex his colliges non tam verè quam elatè à P. Vincentio pronunciari, *mirum eſſe quot & quanta illuſtrentur ex hac* quam tradidit, *propoſitionum hypotheticarum interpretatione*. Etenim quæ de propoſitionibus hypotheticis ibi diſſeruit, in eo maximè fundantur principio, nempe *cognitionem futuri conditionati certiorem eſſe non poſſe, quam firma ſit conſequentis cum antecedente connexio*. Sed cum hoc principium tam perſpectè & exploratè falſum ſit, vt propugnatorem ha-

bere nullum queat, videre planè nemo poſſit, ecquid tandem luminis afferre valeat doctrinæ Thomiſticæ, quæ ſua in nocte perpetuò iacebit, niſi clarior illi dies aliunde affulſerit.

Capvt Qvartvm.

Expenduntur quæ P. Vincentius adducit, ut probet dari decreta conditionata, in quibus cognoſcat Deus futura contingentia conditionata.

QVo clarius intelligatur, quid adſtruere, quidve impugnare debeat P. Vincentius, faciam ante omnia quod ab ipſo eſt prætermiſſum, hoc eſt, ſtatum controuerſiæ in omnium oculis ponam.

49 Præmittò igitur duplex concipi poſſe in Deo decretum ex parte obiecti conditionatum. Vnum eſt quo Deus ſtatuit efficaciter ſe aliquid facturum, ſi à cauſa ſecunda libera ponatur certa conditio. Huius generis eſt decretum quo Deus ſtatuit efficaciter hominibus condonare peccata, ſi de iis veram agant pœnitentiam. Alterum eſt quo ſtatuit efficaciter Deus, quid factura ſit voluntas creata, ſi ponatur certa conditio: Huius generis eſt decretum, quo iuxta Tho-

Digitized by Google

miſtas, Deus ſtatuit efficaciter ab æterno, vt Petrus Chriſtum neget, ſi ab ancilla interrogetur; Et illud aliud quo iuxta eoſdem ſtatuit ab æterno prædeterminare Tyrios ad conuerſionem, ſi fiant apud ipſos virtutes quæ factæ ſunt apud Iudæos.

His præmiſſis, non eſt quæſtio, An dentur in Deo decreta primi generis, per quæ Deus efficaciter decernat ſe aliquid facturum, ſi à creatura rationali ponatur certa conditio. Huiuſmodi namque decreta plurima eſſe in Deo cum Thomiſtis vltro concedimus: Quocirca dum in iis ſtabiliendis laborat P. Vincentius & lectoris otio abutitur, & ſuo; cum ea de re nulla ſit inter nôs & Thomiſtas contentio.

In hoc igitur ſtatus controuerſiæ conſi- 50
ſtit; An dentur in Deo decreta ſecundi generis, per quæ Deus efficaciter ſtatuat quid factura ſit creata voluntas, ſi in his aut illis circumſtantiis collocetur. Affirmant Recentiores Thomiſtæ, atque in huiuſmodi decretis Deum contingentia conditionata videre contendunt. Ita vidit ab æterno Deus Tyrios conuertendos, ſi fierent apud illos virtutes quæ factæ ſunt apud Iudæos, quia habuit ab æterno decretum efficax prædeterminandi Tyrios ad conuerſionem, ſi apud eos fierent illæ virtutes. Ita pariter vidit Ceilitas tradituros Dauidem in manus Saülis, ſi remaneret in ciuitate Ceilam, quia

Digitized by Google

ſtatuit ab æterno prædeterminare phyſicè Ceilitas ad tradendum Dauidem, ſi ipſe apud eos remaneret.

At è contrario Scientiæ Mediæ aſſertores contendunt decreta huiuſmodi admitti in Deo non poſſe. 1. Quia nullum talium decretorum in ſacris paginis extat veſtigium. 2. Quia variis ſcripturæ & Patrum teſtimoniis aduerſantur. 3. Quia ſunt inutilia & penitus otioſa. 4. Quia ea quæ verſantur circa mala hominum opera, pugnant contra ſummam Dei bonitatem. 5. Quia cum hominum libertate conciliari nequeunt, cum inducant antecedentem agendi neceſſitatem. Hæc ſunt argumenta præcipua, quibus in diſputatione de ſcientia Dei vſus ſum, ad decreta huiuſmodi reiicienda. Nunc expendere iuuat, quid opponat P. Vincentius in eorumdem defenſionem.

Obiicit 1. *diſ. de ſci med. ſect. 1. Art. 4. §. 3. Nihil in ſcripturis frequentius illâ Dei voluntate, quam vocant antecedentem, de ſalute omnium hominum, aut pactis, aut promiſſis Dei de rebus ſub conditione futuris.*

51 Reſpondeo hoc argumento illud dumtaxat probari, quod in controuerſiam non adducitur, cum à nullo negetur, eſſe nimirum in Deo decreta conditionata & promiſſoria, quibus decernit ſe aliquid facturum, ſi voluntas creata ponat certam conditionem.

De

De illis igitur tantùm decretis præſens eſt quæſtio, quibus Deus dicitur à Thomiſtis efficaciter decernere, quid factura ſit voluntas creata ſi in his aut illis circumſtantiis ponatur. Horum enim decretorum nullum in ſacris paginis veſtigium extare contendimus; neque in toto illo P. Vincent. diſcurſu quidpiam in medium adducit quo contrarium euincat.

Obiicit 2. ſi decreta huiuſmodi non dentur in Deo, nullum habet medium in quo videat actiones hominum liberas conditionatè futuras: Atq; ita ſcientia illa quam mediam vocamus, non tam dicenda erit Scientia Media, quam *Scientia ſine Medio.* 52

Reſpondeo huius argumenti acumen eſſe valde hebes ac vt in ſimili dixit Auguſtinus, planè vitreum, quod ſplendet vanitate & facilè frangitur veritate; neque enim ſcientiam futurorum ſub conditione propterea mediam vocamus, quod habeat ſpeciale aliquod medium, in quo Deus videat hæc futura: Sed ideo vocatur media, quod medium teneat locum inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & ſcientiam viſionis. Fatemur itaque Scientiam Mediam non habere medium diuerſum ab ipſa Dei eſſentia, in quo videat futura contingentia conditionata; ipſa enim eſſentia Dei, vt ſuperius oſtendi, eſt ipſi Deo ratio ſufficiens ad omnem omnino veritatem contingentem cer-

tò & infallibiliter cognoſcendam; Ideoque prorſus inutile eſt admittere in Deo decretum conditionatum, ſi propter illum finem tantummodo admittatur.

53 Obiicit 3. vt Deus cognoſcat futura conditionata diſparata, requiritur decretum conditionatum in Deo. Ergo debet admitti ſimile decretum vt futura conditionata certò cognoſcat.

Reſpondeo decretum conditionatum non requiri etiam in conditionatis diſparatis, vt ſit Deo medium in quo ea cognoſcat, cum intellectio diuina habeat ab ipſa Dei eſſentia, quidquid perfectionis requiritur ad ea cognoſcenda, abſque nouo medio. Sed requiritur tale decretum, vt futura illa verè ſint conditionata, ſeu vt extrema habeant aliquam inter ſe connexionem aut dependentiam, quam ex ſeipſis non habent ac quoniam futura conditionata, quæ diſparata non ſunt, habent, ex ſe ſufficientem dependentiam conſequentis ab antecedente, ad hoc vt ſint verè conditionata; hinc eſt, cur inutile ſit, decreta conditionata in Deo admittere reſpectu huiuſmodi futurorum, vt ſuperius oſtendi.

54 Obiicit 4. futura abſoluta non cognoſcuntur niſi decreto præſente; Ergo neq; conditionata. Cui concluſioni hæc verba ſubiicit, *Quam vim habeat hoc argumentum, quamque moleſtum ſit aduerſariis probat ipſorum*

Digitized by Google

diſcordia. Nam Suares negat antecedens, & Vaſques conſequentiam.

Reſpondeo 1. diſcordiam hanc, ſi quâ tamen eſt inter Vaſquem & Suarem, argumenti propoſiti imbecillitatem apertè demonſtrare. Oſtendit enim argumenti huiuſce molem ita malè compactam eſſe, vt omni ex parte nutet; nam & antecedens eſt falſum ſecundum Suarem,& conſequentia nulla ſecundum Vaſquem.

Reſpondeo 2. Suarem & Vaſquem in huius argumenti ſolutione eſſe planè concordes, & fingi à P. Vincentio diſcordiam vbi nulla eſt. Nam Suares & Vaſques in hoc conueniunt, quod decretum Dei requiſitum ad abſolutè futura, non requiritur in Deo tanquam medium in quo videat Deus huiuſmodi futura, ſed tanquam cauſa per quam producatur ſuo tempore res illa quæ eſt abſolutè futura, aut applicetur omnipotentia diuina ad eam rem producendam.

Quocirca & Suares & Vaſques negant antecedens, ſi eo ſenſu accipitur, quo vſurpatur à Thomiſtis, nimirum futura abſoluta non cognoſci à Deo, niſi præſente decreto, tamquam medio in quo illa certò cognoſcat. Nam cum iuxta Suarem decretum illud quod requiritur, non ſit determinatum ad vnum, ſed indifferens ad vtrumlibet, non poteſt eſſe ratio certò cognoſcendi

quod eſt futurum. Quamuis autem iuxta Vaſquem decretum illud quod requiritur, ſit determinatum ad vnum;Is tamen conſtanter negat,decretum illud eſſe medium inquo Deus futura illa certò cognoſcat.

55 Vt vidit P. Vincentius nihil ex ſacris paginis ſperare ſe poſſe præſidij, vertit ſe ad Dialecticæ regulas, vt vel ex hoc capite perſuadeat ſcientiam mediam à ſcholis penitus remouendam, quod non ſolum ſcientiis omnibus ſit infenſa, ſed ipſi etiam modo ſciendi, hoc eſt Dialecticæ bellum indicat.

Conceptum etiam ſemel atrox & hoſtile in illam ſcientiam odium,recentem alium Thomiſtam eò impulit, vt ſcribere non ſit veritus, Scientiam Mediam præcipua Chriſtianæ Religionis principia conuellere, nempe Myſterium Trinitatis & Myſterium Incarnationis, vimque omnem ac fructum adimere Apoſtolorum Prædicationi, ſed argumenta illa ſtraminea, exſibilanda potius quam refellenda iudicabit quiſquis intelliget, atque ſatis ſuperque confutabit, cum deridebit, neque vllus Theologus tam læuæ mentis erit, vt fidem adhibeat ſuam illis mirabilibus quæ bona anima huius recentioris ſibi potuit perſuadere, longè clementius ac ſpecie magis plauſibili agit cumScientia Media P. Vincent.iſta Dialecticæ tela in illam immittit, ſed imbellia & ſine ictu, ſicut oſtendo.

Digitized by Google

Tres, inquit, habet Logica regulas prorſus immotas, atque apud omnes receptas. Prima ſpectat ad propoſitiones diſiunctiuas, in quibus deſcenſus ad alterum extremorum è duobus contradictoriis, eſt confuſus & indeterminatus, quamdiu nulla eſt in cauſis ad vnum extremorum determinatio. At huic regulæ aduerſantur Scientiæ Mediæ patroni, cum ſtatuant cauſis omnibus ſuſpenſis & indeterminatis deſcenſum fieri determinatè ad vnum è duobus extremis oppoſitis; docent enim alterum eſſe determinatè verum, & alterum determinatè falſum. 56

Reſpondeo, falli P. Vincentium & quidem pluſquam ſemel, ſi exiſtimat deſcenſum illum confuſum & indeterminatum de quo ſummuliſtæ agunt, cum de propoſitione diſiunctiua diſſerunt, eſſe ex parte obiecti. Is enim deſcenſus cōfuſus atq; indeterminatus, totus eſt ex parte cognitionis diſiunctiuæ, quæ ex modo tendendi neutrum extremum determinatè aſſerit, ſed alterutrum diſiunctiuè & indeterminatè; Ex parte autem obiecti nulla eſt confuſio aut indeterminatio; nam in re & ex parte obiecti determinatè peccabit Antichriſtus, & Petrus determinatè aget pœnitentiam.

Fallitur inſuper idem Author, dum exiſtimat Scientiæ Mediæ defenſores docere à cauſis omnibus ſuſpenſis & indeterminatis

Digitized by Google

effectum determinatè producit. Quamuis enim cenſeant cauſam liberam in actu primo completam, eſſe indifferentem indifferentiâ actiuâ ad agendum & non agendum; Statuunt tamen cauſam illam in eo inſtanti reali in quo eſt completa, ſeipſam liberè determinare, nec manere ſuſpenſam, ſed determinatè ponere effectum, aut ab eo ponendo determinatè abſtinere. Ideoque nihil planè docent, quod immotis atque apud omnes receptis dialecticæ regulis aduerſetur.

57 Altera Dialecticæ Regula ſpectat ad propoſitiones contradictorias de futuro contingenti, cui vult Scientiam Mediam repugnare; ſed cum hæc regula quam eo loci refert hic author, nihil aliud ſit niſi purum putumque Nazarij Thomiſtæ commentum; fruſtra in huius regulæ, quæ nullius eſt ponderis explanatione tempus & chartam conſumit. Neque enim meliore aut peiore loco erunt Scientiæ Mediæ res ſiue illi rectè, ſiue malè cum Nazarij Doctrina conuenerit.

Vna eſt apud nos certa atque immota lex, è duabus cõtradictoriis de futuro contingenti alteram in re eſſe determinatè veram, alteram falſam. Quia in re & ex parte obiecti, non poteſt dari ſtatus medius inter conuerſionem Petri, & non conuerſionem; hic enim ſtatus medius planè repugnat; Ergo aut Petrus determinatè conuertetur tali

tempore, aut determinatè non conuertetur.

Cæterum ſi quiſpiam inquirat. An ex duabus his contradictoriis *Petrus conuertetur craſtina die, & Petrus non cõuertetur craſtina die,* vna ſit determinatè vera, & altera falſa, in priori aliquo ſigno rationis, antequam intelligatur eſſe in Deo decretum exhibendi concurſum ſuum Petro ad conuerſionem. 58

Reſpondeo, quando dicitur *Petrus cras conuertetur*, ſenſus huius propoſitionis eſt, conuerſionem eſſe ponendam à Petro in actu primo completo, ſeu omnibus ad conuerſionem prærequiſitis inſtructo; At cum inter prærequiſita ad conuerſionem, ſit actuale Dei decretum, per quod exhibet ſuum concurſum Petro ad conuerſionem, hinc ſequitur eum qui quærit. An iſta propoſitio. *Petrus cras conuertetur*, ſit determinatè vera, aut eius contradictoria, in priori ſigno rationis ante actuale decretum Dei, concurrendi cum Petro ad illum effectum; idem prorſus efficere, ac ſi quæreret, An conuerſio ſit determinatè ponenda à Petro prius ratione quam Petrus ſit & intelligatur in actu primo completus ad illum effectum, vel an ſit determinatè omittenda conuerſio à Petro, prius ratione quam ſit omnibus ad conuerſionem prærequiſitis inſtructus. Quis autem non videat ineptam prorſus eſſe hanc quæſtionem, quandoquidem conſtat, Pe-

trum prius ratione quam ſit omnibus ad a-
gendum inſtructus, neque poſſe liberè po-
nere conuerſionem neque liberè illam omit-
tere.

Tertia Logicæ Regula pertinet ad pro-
59 poſitionem hypotheticam quæ dicitur eſſe
falſa, quoties antecedens non eſt neceſſa-
riò & infallibiliter connexum cum conſe-
quenti.

Verum in hoc errat magnopere P. Vincentius, quod propoſitionem hypotheticam in communi, cum illatiua ſeu rationali, quæ ſpecies eſt propoſitionis hypotheticæ confundat. Nam ad veritatem propoſitionis hypotheticæ in communi, ſufficit vt conſequens aliquo modo pendeat ab antecedenti, ſiue neceſſariò ſiue contingenter. Atque hoc inter cæteros tradunt è Thomiſtis Dominicus ſoto in ſummulis lib. 3. c. 8. Lect. 3. Et Dominicus Bannes lib. 3. ſummul tract. 2. c. 2. His hutem ſubſcribit Hieronimus Viues lib. 1. de Scientia Media diſput. 2. diſt. 1. num. *6.* vbi pro ſe allegat Didacum Aluarem. lib. 2. de Aux. diſput. 7. Quare cum dicitur, ad veritatem propoſitionis hypotheticæ requiritur vt conſequens ſit neceſſariò connexum cum antecedenti; ita vt valeat illatio ab antecedenti ad conſequens; Nomine propoſitionis hypotheticæ intelligitur ea qua dicitur illatiua, ſeu rationalis; non autem propoſitio hypothctica in communi

muni huic autem regulæ nullo modo aduerſatur Scientia Media; quæ hoc tantum poſtulat, nempe vt ad veritatem propoſitionis hypotheticæ in communi, ſufficiat vt conſequens reuerâ pendeat ab antecedenti aliquo modo vel neceſſariò vel contingenter. Hoc Patri Vincentio ſi non arriſerit, videat quomodo non tam illi bellum ſit cum externis authoribus, quam cum ſuis: apud quos receptam dudum ſententiam faſtidioſè reiicit, vel à ſe videri vult profligatam.

Capvt Sextvm.

Confutantur reliqua quæ P. Vincentius congerit aduerſus Scientiam Mediam argumenta à priori.

POſt argumentum ex Dialecticæ legibus petitum, varia expromit argumenta P. Vincentius, quæ vocat *à Priori*, vt iis ſi poteſt, Scientiam Mediam de medio tollat. Quam improſperè id conetur conſtabit ex dicendis.

Primum mutuatur à Ioanne à S. Thoma, 60
qui ſupponit, quod actio libera ſit conditionatè futura, eſſe aliquam veritatem, quæ eidem actioni potuiſſet non aduenire; Inde

verò concludit aſſignandam eſſe cauſam aliquam huius veritatis, nec aliam inueniri præter decretum Dei ex parte obiecti conditionatum.

Sed cum is doctrinæ Thomiſticæ defenſionem ſuſceperit aduerſus P. Annatum; æquum erat, vt reſponſionem quam ad hoc argumentum dederat P. Annatus, ſi quâ ratione poſſet, refelleret. At ne meminit quidem: ac meo iudicio non immeritò; eius enim generis ſolutio eſt, vt ad illius conſpectum, velut ad primos ſolis radios tenebræ, vis illarum rationum, quas P. Vincent. *profundiſsimas* vocat, omnis continuò euaneſcat.

61 Atque vt id manifeſtius fiat, aduerto veritatem obiectiuam propoſitionis cuiuſpiam, cum non diſtinguatur ab ipſo obiecto; non exiſtere actu, niſi quando exiſtit obiectum. Idcirco ſi obiectum propoſitionis non eſt actu præſens, ſed eſt tantum futurum, ſeu abſolutè, ſeu conditionatè, veritas pariter obiectiua propoſitionis non exiſtit actu, ſed erit aut abſolutè aut conditionatè. Ita in hac propoſitione. *Si Petrus cras præueniatur tali auxilio gratiæ, conuertetur*, veritas obiectiua eſt ipſa conuerſio vt ponenda à Petro, ſi tali auxilio præueniatur; hinc fit vt hæc veritas non ſit actu in rerum natura, ſicut nec actu exiſtit conuerſio Petri, ſed ſit tantum futura ſub conditione, quemadmodum

ipſa Petri conuerſio eſt tantum ponenda ſub conditione.

Indidem vero deducitur non eſſe quærendam cauſam huiuſcè veritatis, quæ actu ſit & fuerit in Deo : Cum enim actu veritas illa non exiſtat, ſed eſſet ſi poneretur talis conditio : non requirit cauſam quæ actu ſit, ſed requirit cauſam quæ eſſet, & à qua poneretur, poſitâ tali conditione; hæc autem vt iam ante dixi, non eſt alia, niſi illa à qua reipſa producetur is effectus tali poſitâ conditione.

Sed vereor plurimum ne veritatem formalem propoſitionis cum obiectiua Thomiſtæ confundant: Nam propoſitio ſeu cognitio per quam Deus ab æterno videt, Tyrios pœnitentiam acturos, ſi apud eos fiant virtutes quæ factæ ſunt apud Iudæos, eſt ab æterno vera, & illi conuenit ab æterno veritas formalis ſeu conformitas cum obiecto: quæ veritas cum ſit proprietas cognitionis diuinæ, non habet aliam cauſam, niſi eam quam habet cognitio diuina, quæ nullam admittit. At veritas obiectiua eiuſdem propoſitionis neque eſt, neque eſſe poteſt ab æterno; Cum non ſit diſtincta ab ipſo obiecto, quod de facto nec eſt, nec fuit, ſed eſſet ſi poneretur talis conditio. Ex quo fit, vt aliam ſui cauſam non poſtulet, niſi eam per quam ipſum obiectum, puta Tyriorum conuerſio poneretur poſita tali conditione.

Digitized by Google

Hæc autem non eſſet alia niſi voluntas Tyriorum omnibus ad conuerſionem prærequiſitis inſtructa; Inter quæ præter auxilium diuinæ gratiæ eſt Decretum Dei per quod ſic exhibet ſuum concurſum voluntati creatæ, vt penes eam ſit illo vti vel non vti.

Scio P. Vincentio non probari decretum illud per quod Deus ſic exhibet ſuum concurſum cauſæ ſecundæ liberæ, vt penes eam ſit eo concurſu vti vel non vti, exiſtimat enim ſic eripi Deo rationem cauſæ primæ, & primi liberi, & cæcum agendi modum Deo adſcribi. Sed in præcedenti diſputatione oſtendi, timere Thomiſtas, vbi nullus eſt timendi locus: Ad illas autem inſtantias ita reſpondi, vt nihil prorſus is addat quod nouâ ſolutione indigeat.

62 Vnum eſt quod ſubiicit, non reſponderi argumento, quod, inquit, *valide vrgent Salmanticenſes,* nimirum ex noſtra ſententia ſequi Deum cognoſcere futura conditionata triplici genere cognitionum, quarum vna alteram impediat, aut reddat ſuperfluam ſed quid mirum ſi non reſpondetur huic argumento, cum nihil planè contineat, quod aliquid negotij faceſſere poſſit atque reſponſionem vel extundere vel mereri.

Ac ne id confidentius à me quam verius dictum putet P. Vincentius; experiri placet, an ipſemet probet, quod à Salmanticenſibus propoſitum quidem fuit, ſed nullâ ſolidâ

Digitized by Google

ratione ſtabilitum.

Si Deus, inquit *ſect. 1. Art. 3.* §. *11.* cognoſcit rem eſſe futuram ſub conditione, hoc ipſo quod eſt libere ponenda à cauſa ſecunda ſi ponatur certa conditio: Cum conſtet eamdem remquæ eſt conditionatè futura; eſſe inſuper interdum abſolutè futuram, euidens eſt Deum eam cognoſcere alio genere cognitionis, nempe ſcientiâ abſolutâ ſeu viſionis: Et cum aliunde eo priori inſtanti quo per Scientiam Mediam cognoſcitur, vi decreti poſſibilis ſint propoſitiones contradictoriæ ſecundum formam abſolutam, non poteſt negari quin eadem res cognoſcatur à Deo in decreto futuro. 63

At quis non videt eâ ratiocinatione, nihil minus probari, quam ex noſtra ſententia ſequi, Deum cognoſcere futurum contingens conditionatum triplici genere cognitionis? Cognoſcit, inquit P. Vincentius, rem aliquam, putà conuerſionem Tyriorum eſſe conditionatè futuram, hoc ipſo quod eſt ponenda à voluntatè Tyriorum ſi ponatur certa conditio; eſt ita ſanè vt dicit, & hoc eſt vnicum cognitionis genus quo futurum illud conditionatum à Deo cognoſcitur.

Sed, pergit idem Author, ſi res illa quæ 64
eſt futura ſub conditione, ſit inſuper abſolutè futura, nunquid cognoſcetur à Deo per ſcientiam abſolutam? Cognoſcetur omnino. At quid inde conficitur, ergo futurum

Digitized by Google

conditionatum, quatenus eſt eiuſmodi, hoc eſt in ſtatu conditionato, duplici genere cognitionis cognoſcitur; falſá omnino conſequentia, quæ ex tali antecedente nullis deduci machinis vnquam rectè poteſt. Fateor quidem rem eamdem ſub duplici ſtatu conſideratam, nempe ſub ſtatu conditionato, & ſub ſtatu abſolutò; terminare duplicem cognitionem, nempe Scientiam Mediam, quatenus eſt in ſtatu conditionato, & ſcientiam viſionis; quatenus eſt in ſtatu abſolutò: At conſtanter nego, rem eamdem ſpectatam quatenus eſt in ſtatu conditionato, álio modo cognoſci quam per Scientiam Mediam.

Tertiùm prætereа ſtatum eiuſdem rei conditionatè futuræ, qui ſit veluti medius inter ſtatum futuritionis conditionatæ & futuritionis abſolutæ, fingit ſibi P. Vincentius, vt triplex genus cognitionis inde deducat. Sed meo iudicio ſtatus ille eſt planè chimæricus, nullus enim effectus cauſæ ſecundæ liberæ eſt abſolutè futurus in priori ſigno rationis ante decretum per quod Deus ſtatuit ſuum exhibere concurſum cauſæ ſecundæ: niſi forte quiſpiam exiſtimet effectum aliquem poſſe concipi vt exiſtentem, & reipsâ exiſtere in priori ſigno rationis ante ſuam cauſam. Atque eo reducitur tota P. Vincent. ratiocinatio, circa triplex illud cognitionis genus quod ex noſtra ſententia

Digitized by Google

deduci cum Salmanticenſibus demonſtrare inſtituerat.

Claudit omnia hæc argumenta idem Author breui Epilogo, cuius Sũma hæc eſt, ibidẽ §. vlt. *malè* nimirum *conſuli à ſuis authoribus Scientiæ Mediæ, graui diſſenſione, non modo verborum, ſed etiam ſententiarum, quæ tanta eſt, vt vix duo inter ſe conueniant.* Ex quo fit; *vt occaſione datâ pro Summa ingenuitate fateri non deſinant, Scientiã Mediam adhuc implicatam difficultatibus, quibus non modo mordeantur, ſed etiam obrui ac penè ſe abſorberi ſentiant.* 65

Id pro Summa ingenuitate ſe *accepiſſe aſſerit* P. Vincentius *à virò fide digno, qui ſe audiuiſſe aiebat, quemdam eiuſdem familiæ Authori intimum, teſtantem ſibi non placere; quæ in his diſputationibus inita eſt; rationem defendendi Scientiam Mediam, & à ſe inuentam meliorem.*

Non hoc dixit P. Annatus harum diſputationum Author, ſed alius eiuſdem familiæ Authori intimus neque hoc ab illo Authori intimo audiuit P. Vincentius, ſed accepit ab alio fide digno. Quid autem dixit ille Authori intimus, *ſibi non placere initam ab Authore rationem defendendi Scientiam Mediam; & à ſe inuentam meliorem.* At ecce quid inde concludat P. Vincentius. Ergo inquit, defenſores Scientiæ Mediæ *occaſione datâ pro Summa ingenuitatè teſtari*

Digitized by Google

non deſinunt, Scientiam Mediam adhuc implicitam difficultatibus, quibus non modo mordeantur, ſed obrui ac penè ſe abſorberi ſentiant.

Ego ſanè non ſolum in hac concluſione quæ ex antecedenti plane incerto, ac meo iudicio, falſo deducitur, veritatem illationis, ſed etiam ingenuitatem in ipſo deducente deſidero.

Ecce mihi non probatur modus quo iuxta Vaſquem Deus exhibet ſuum concurſum cauſis ſecundis liberis, nimirum per decretum efficax determinatum ad vnum,ſed concomitans; mihique eſt omnino perſuaſum longe faciliorem & veriorem eſſe modum quem Suarez proponit, quique in eo conſiſtit, vt Deus ſuum concurſum offerat cauſæ ſecundæ liberæ, per decretum abſolutum, indifferens tamen, quatenus vi illius ſic Deus ſuum exhibet concurſum, vt ſit penes cauſam ſecundam liberam eo vti & non vti. continuòne concludet P. Vincentius me *pro ſumma ingenuitate teſtari Scientiam Mediam adhuc implicatam difficultatibus, quibus* eius defenſores *non modo mordeantur, ſed obrui ac penè abſorberi ſe ſentiant.* Profectò conſecutionem tam malè deductam inter Theologos admiſerit nemo, ac ne ipſe quidem P. Vincentius melius conſultus.

Neque vero Scientiæ Mediæ ab ſuis authoribus propterea malè conſulitur, quod inter

Digitized by Google

inter ſe non modo verbis, ſed rebus etiam interdum diſſentiant, cum aduerſariorum argumentis reſpondent. Alioqui Dogmatibus fidei malè conſulerent Doctores Catholici, quando diuerſis iiſque vt plurimum oppoſitis innixi principiis, tuentur Catholicam fidem contra argumenta hæreticorum & infidelium.

Quinimo concors ille Doctorum diſcordia, qui tametſi inter ſe in pleriſque diſſidentes, in vnam tamen conſpirant veritatis Catholicæ defenſionem, & veritatis huiuſce firmitudinem probat, & erroris oppoſiti vanitatem, dum illa diuerſis modis atque etiam oppoſitis inuictè defenditur, hic vero multipliciter impugnatur.

Certè ſi defenſores Scientiæ Mediæ, ſententiæ quam tuentur male conſulunt ſuâ diſſenſione; fatendum eſt peſſimo in ſtatu Thomiſtarum cauſam eſſe debere; quippe qui tam opportunà ſibi aduerſariorum diſcordia vti non poſſint in ſuæ ſententiæ confirmationem. Verum ſemper fuit, artem bellicam malè illos callere duces, aut ſaltem malè adhibere, qui capere neſciant arcem quam ipſi dicunt parum munitam, & cuius præſidiarii milites ſcinduntur ſtudia in contraria & inteſtinis ſeditionibus agitantur.

At tantum abeſt, vt Thomiſtis faueat hæc aduerſariorum diſſenſio, dum obiectis ſibi argumentis reſpondent; Laborem potius

Digitized by Google

Thomiſtis ingeminat hæc reſponſionum varietas: nihil enim euincunt dum vnam impugnant, cum adhuc ſuperſint plures ac fortè validiores, quibus Scientiæ Mediæ patroni ipſorum impetus frangant.

Quis neſcit communia hæc eſſe hoſtium vota, hi quos inſtanter oppugnant, variis inter ſe factionibus diſtrahantur, vt occaſio ſit eos facile vincendi; certè, vt hoc verum eſſet, minus mirum videretur, quòt erudita capita, tot eſſe ſententias, ſi viri docti vnum non ſequantur magiſtrum in cuius verba iurauerint; Et tamen Scientiæ Mediæ propugnatores in hunc finem omnes coniunxit Deus *qui concordiam facit in ſublimibus*, vt licet plurimi quaſi vir vnus & agmine facto illam pugnaciſſimè tueantur; inimica verò tela varijs quidem armis ſed communi clypeo & actâ pariter teſtudine depellant; non ſint quidem labii vnius & eorumdem ſermonum, at vnius ſenſus & voluntatis in hac aſſerenda ſcientia mirabiliter conſentientis.

Quapropter deplorata eſt cauſa P. Vincentij, ſi confirmare alio illam modo non poſſit, quam illa diſſenſione aduerſariorum, quam incredibiliter exaggerauit. Sed quam tinneo ne paries, multis, latis, caſumque minantibus diſciſſus fiſſuris, tenuem rimam ædificato ſtrenuè muro exprobret. Quantum enim inter ſe diſcordant ipſi Thomiſtæ qui tamen ſemper & vbique, vnius

D. Thomæ ; quaſi ſui Scientiarum Regis militant ſtipendiis,& cuius obſequio tota ſua ingenia deuouerunt ; ita vt omnia eius dogmata, ſint eis aliæ Moſis Tabulæ ac loco legis, quod de illis Athanaſij magni, dixit Gregorius Theologus ; vnius D. Th. veſtigijs ſe inſiſtere profitentur,. & tamen, mira & vera res, inter illos vnus it ad dexteram & alius it ad ſiniſtram ; neceſſe eſt ergo, aliqui horum non ambulent vias rectas aut dux præcedens deerrauerit ; ciuilia hîc horum diſſidia profero, vt quo nos percutere grauiter iaculo P.Vincent voluit,ipſe grauius percutiatur.

Primum igitur quod inter Thomiſtas circa 68
materiam de qua nunc agimus, intercedit diſſidium ſpectat naturam futuri. Hinc enim Hieronimus Viuez, P. Vincentius & alij, illud ſolum verè ac propriè futurum eſſe contendunt, quod habet eſſe determinatum in cauſa, vt aliquando ſit ; Illinc verò Dominicus Bannez, Ferrarienſis, Ioannes à S.Thoma, & alij poſt Doctorem Angelicum, duplex futuri genus agnoſcunt, in cauſa nimirum, & in ſe; illud dicitur futurum in cauſa quod antequam ſit, habet eſſe determinatum in cauſa, vt aliquando ſit; illud autem dicitur futurum in ſe quod aliquando erit, ſeu *de quo verum erit aliquando dicere*; *Hoc eſt, illo demonſtrato.*

Quis autem eſt, qui non videat huiuſmo-

Thomiſtis ingeminat hæc reſponſionum varietas: nihil enim euincunt dum vnam impugnant, cum adhuc ſuperſint plures ac fortè validiores, quibus Scientiæ Mediæ patroni ipſorum impetus frangant.

Quis neſcit communia hæc eſſe hoſtium vota, hi quos inſtanter oppugnant, variis inter ſe factionibus diſtrahantur, vt occaſio ſit eos facile vincendi; certè, vt hoc verum eſſet, minus mirum videretur, quot erudita capita, tot eſſe ſententias, ſi viri docti vnum non ſequantur magiſtrum in cuius verba iurauerint; Et tamen Scientiæ Mediæ propugnatores in hunc finem omnes coniunxit Deus *qui concordiam facit in ſublimibus*, vt licet plurimi quaſi vir vnus & agmine facto illam pugnaciſſimè tueantur; inimica vero tela varijs quidem armis ſed communi clypeo, & acta pariter teſtudine depellant; non ſint quidem labii vnius & eorumdem ſermonum, at vnius ſenſus & voluntatis in hac aſſerenda ſcientia mirabiliter conſentientis.

Quapropter deplorata eſt cauſa P. Vincentij, ſi confirmare alio illam modo non poſſit, quam illa diſſenſione aduerſariorum, quam incredibiliter exaggerauit. Sed quam ſtulte ne parietes, multis, latis, caſumque minantibus diſciſſus fiſſuris, tenuem rimam ædificato ſtrenuè muro exprobret. Quantum enim inter ſe diſcordant ipſi Thomiſtæ qui tamen ſemper & vbique, vnius

D. Thomæ, quaſi ſui Scientiarum Regis
militant ſtipendiis,& cuius obſequio tota ſua
ingenia deuouerunt; ita vt omnia eius dog-
mata, ſint eis aliæ Moſis Tabulæ ac loco le-
gis, quod de illis Athanaſij magni, dixit
Gregorius Theologus; vnius D. Th.
veſtigijs ſe inſiſtere profitentur, & tamen,
mira & vera res, inter illos vnus it ad dex-
teram & alius it ad ſiniſtram; neceſſe eſt er-
go, aliqui horum non ambulent vias rectas
aut dux præcedens deerrauerit; ciuilia hîc
horum diſſidia profero, vt quo nos percute-
re grauiter iaculo P.Vincent voluit,ipſe gra-
uius percutiatur.

Primum igitur quod inter Thomiſtas circa 68
materiam de qua nunc agimus, intercedit
diſſidium ſpectat naturam futuri. Hinc enim
Hieronimus Viuez, P. Vincentius & alij, il-
lud ſolum verè ac propriè futurum eſſe con-
tendunt, quod habet eſſe determinatum in
cauſa, vt aliquando ſit; Illinc verò Domi-
nicus Bannez, Ferrarienſis, Ioannes à S.Tho-
ma, & alij poſt Doctorem Angelicum, du-
plex futuri genus agnoſcunt, in cauſa nimi-
rum, & in ſe; illud dicitur futurum in cauſa
quod antequam ſit, habet eſſe determinatum
in cauſa, vt aliquando ſit; illud autem di-
citur futurum in ſe quod aliquando erit, ſeu
*de quo verum erit aliquando dicere; Hoc eſt,
illo demonſtrato.*

Quis autem eſt, qui non videat huiuſmo-

di diſſenſionem Scientiæ Mediæ defenſoribus adeò vtilem eſſe, vt ijs Bannes Ferrarienſis, & Ioannes à S. Thoma arma ſubminiſtrent; quibus ſeſe aduerſus Hieronimi Viues, & Vincentij impetus tueantur? Quando enim iſti concludunt nullum contingens eſſe verè futurum, niſi quatenus eſt determinatum in cauſa prima per efficax decretum, vt aliquandò ſit, propterea quod ad rationem futuri pertinet vt habeat eſſe determinatum in cauſa. Tum verò Scientiæ Mediæ aſſertores reſpondent falli vehementer, qui ſic argumentantur; quandoquidem vel ipſis etiam Thomiſtis conſentientibus, poteſt aliquid eſſe futurum, in ſe nimirum & ſecundum euentum, quamuis non ſit determinatum in cauſa, vt aliquandò ſit. Atque ita inciduntur nerui omnes argumenti à priori, quo P. Vincentius Scientiam Mediam ſe ſperabat profligaturum & ad exitium adducturum.

69 Alterum Thomiſtarum diſſidium verſatur circa veritatem propoſitionis conditionalis: Contendit enim P. Vincentius poſt Ledeſmam, ad veritatem propoſitionis conditionalis requiri, vt conſequens ſit neceſſariò connexum cum antecedente, ita vt valeat illatio ab antecedente ad conſequens.

At è contrario ijs aduerſantur Bannes, Dominicus Soto, Hieronimus Viues, Alvares; ſtatuunt quippè ad veritatem propoſitionis conditionalis ſufficere, vt conſequens

aliquo modo pendeat ab antecedente, ſitque
cum illo connexum vel neceſſariò vel con-
tingenter.

Quantum verò faueat Scientiæ Mediæ bel-
lum iſtud Thomiſticum, manifeſtius eſt,
quam vt egeat demonſtratione. Quando
enim nobis obijcit P. Vincentius, propoſi-
tionem quæ verſatur circa effectum contin-
gentem conditionatè futurum, non eſſe ve-
ram, niſi conſequens ſit neceſſariò conne-
xum cum antecedenti, quod non fit niſi per
decretum efficax ex parte obiecti conditiona-
tum, continuò reſpondemus id eſſe falſum;
quod vt probemus Thomiſtas Thomiſtis op-
ponimus; Atque ex aliquorum Sententia ad-
uerſus alios aſſerimus, ad veritatem propoſi-
tionis conditionalis ſufficere vt conſequens
aliquo modo ſequatur ex antecedente, ſitque
cum illo contingenter connexum. Atque ita
demum penitus euaneſcit altera P. Vincen-
tij aduerſus Scientiam Mediam demonſtratio
à priori.

Tertium Thomiſtarum diſſidium pertinet 70
ad decreta Dei conditionata, quæ verſantur
circa effectus à cauſa ſecunda libera ponen-
dos ſub conditione. Etenim Recentiores
Thomiſtæ decreta huiuſmodi admittunt in
Deo, vt in illis tanquam in medio effectus
illos conditionatè futuros certò cognoſcat.

Contra verò alij exiſtimant decreta huiuſ-
modi in Deo admittenda non eſſe, inter quos

Digitized by Google

Ledeſma magni nominis Thomiſta diſput. 2. affini de ſcient. futur. conting. difficult. 2. poſteaquam retulit ſententiam illorum qui ſtatuunt, *Deum futura conditionata cognoſcere in prædeterminatione ſuæ voluntatis, ſeu in decreto quo prædefiniuit quid eſſet facturus, non abſolutè, ſed ſub conditione ſi hæc vel illa circumſtantia poneretur.* Tandem concludit *Sententiam hanc eſſe falſam & improbabilem:* additque ſecum hac in parte ſentire *præcipuè omnes illos qui ſequuntur doctrinam D. Thomæ.*

Deindè inter illos qui talia decreta Deo concedunt, alij ea admittunt reſpectu omnium actionum liberarum quæ ſunt futuræ ſub conditione, ſeu bonæ illæ ſint, ſeu malæ. Alij autem ècontra negant admitti poſſe in Deo decreta illa reſpectu malorum actionum quæ fierent à voluntate creata, veriti ſcilicet ne Diuinæ voluntati tribuantur malæ hominum actiones perindè ac bonæ. Horum è numero eſt Gonſales de Albelda Thomiſta percelebris.

Præterea circa eadem decreta litigant inter ſe Thomiſtæ non parum, dum alij ea dumtaxat admittunt reſpectu futurorum ſub conditione, quæ ſunt reuelata in ſacris paginis: alij ad omnia futura ſub conditione extendunt, quamuis à Deo reuelata non ſint.

71 Ex hac porrò Thomiſtica diſſenſione, quantum emolumenti percipiat Scientia Media, intelligunt illicò vel mediocriter erudi-

Digitized by Google

ti. Etenim ſi falſum & improbabile eſt, vt cenſet Ledeſma, dari huiuſmodi decreta in Deo, fatendum eſt, Deum, aut effectus contingentes ſub conditione futuros non cognoſcere certò & infaillibiliter, quod ſacris paginis & SS. Patribus aduerſatur, aut illos cognoſcere independenter à decreto ex parte obiecti conditionato; & hoc eſt admittere Scientiam Mediam in Deo.

2. Si dantur decreta huiuſmodi circa bonas tantùm hominum actiones, non autem circa malas: Deus ergo nouit effectus malos futuros ſub conditione independenter à decreto efficaci ex parte obiecti conditionato; Ex quo ſequitur dari Scientiam Mediam reſpectu malorum actuum, qui ſunt futuri ſub conditione: Hinc autem facile eſt argumentari ad actus bonos.

3. Si admittuntur illa decreta reſpectu eorum tantùm, quorum reuelatio extat in ſacris paginis, non autem reſpectu aliorum quæ reuelata non ſunt; Ergo Deus contingentia conditionatè futura quæ non ſunt reuelata, certò cognoſcit independenter ab efficaci decreto atque adeo reſpectu illorum datur Scientia Media; niſi fortè quiſpiam exiſtimet Deum omnia reuelaſſe quæ nouerat eſſe conditionatè futura, quod ſanè inter Theologos nullus admiſerit.

Atque hæc de argumentis à priori, quibus P. Vincentius ſect. 1. diſput. de Scient. Me-

Digitized by Google

dia, huiuſmodi Scientiam impugnare conatus eſt; ſubiungit quidem alterum idem Author, illudque deſumit ex eo quod exiſtimet, Scientiam Dei quatenus eſt Scientia Viſionis, eſſe cauſam rerum quas intuetur ſed cum hoc argumentum ſit longè petitum, nitaturque principio quod falſum eſſe pluribus oſtendo diſput. 1. de Scientia Dei c. 7. & 8. actum agerem, ſi huic refellendo otium & chartam impenderem.

RESPONSIONIS

Ad objectiones Vincentianas Pars Poſterior.

In qua examen Scientiæ Mediæ ex ſcriptura & Patribus à P. Vincentio inſtauratum ad nouum examen reuocatur.

EXamen Scientiæ Mediæ ex ſcripturâ & Patribus inſtauraturus P. Vincentius ſectione ſecundâ ſuæ Diſputationis præmittit, *Ad ea quæ ex ſcriptura & Patribus afferri ſolent ab aduerſarijs*, hoc eſt à Scientiæ Mediæ defenſoribus, *in promptu reſponſionem eſſe, & argumenta*, quæ ex iiſdem locis Thomiſtæ depromunt, *fuiſſe inſinuata: Paucis tamen* inquit, *omnia decurram, ne videar ſilentio difficultates fugere, tum vt ex ſuperioribus adiungam plura recondita eruditionis omiſſa aut breuius explicata.*

Laudandum ſanè conſilium, & Theologo erudito digniſſimum; cum enim, vt ait

Chriſtus Dominus, *Nemo accendat lucernam, vt eam ponat ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo ſunt* æquum erat vt ijs quæ Author iſte priori ſectione tradiderat, plura illa *recondita eruditionis*, aut omiſſa, aut breuius explicata adiungeret, ne tantum bonum Theologis cæteris inuidiſſe videretur. Sed potius illos omnes vocaret in prædam partemque theſauri ſui, de quo doctus iſte ſcriba regni cœlorum tantûm recondita promittit ſe prolaturum, ſeu noua illa ſint, ſeu vetera.

Sed quoniam ſi qua eſt in hac Vincentiana Diſputatione eruditio recondita, eo potiſſimum ſpectat, vt vltimam Scientiæ Mediæ cladem importet, idcirco priori reſponſionis parti poſteriorem adijcio: vt quâ potero ratione Scientiæ Mediæ incolumitati apertè conſulam aduerſus *reconditam* Patris Vincentij *eruditionem*.

Digitized by Google

Caput Primum.

An ex diuinis reuelationibus futurorum ſub conditione, rectè concludatur eſſe in Deo certam illorum notitiam.

Notandum, varias extare in ſacris paginis reuelationes contingentium futurorum ſub conditione; nam. 1. Reg. cap. 23. reuelat Deus Dauidi ipſum interroganti Saülem venturum Ceilam, & Ceilitas ipſum Dauidem Saüli tradituros, ſi ibi remaneret, & Sap. 4. dicitur Deus hominem iuſtum ex hac vita rapuiſſe, ne malitia mutaret intellectum eius, hoc eſt, quia præuiderat eum peccando à juſtitiâ receſſurum, ſi diutius viueret, & lib. 3. Regum c. 11. præcipit Deus Iſraëlitis ne connubia iungant cum mulieribus alienigenis, quia inquit, *Certiſſimè auertent corda veſtra, vt ſequamini Deos earum*; In nouo autem Teſtamento Math. 11. exprobrat Chriſtus Iudæis, quod factis apud eos tot virtutibus & miraculis non crediderint, quia ſi in Tyro & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ apud illos factæ ſunt, *olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent*. Et Lucæ 16. diuiti epuloni Deum roganti vt ad fratres I

Digitized by Google

ſuos mitteret aliquem ex mortuis, qui eos ad pœnitentiam inuitaret, reſpondet Deus, *Si Moyſem & Prophetas non audiunt, neque ſi qui ex mortuis reſurrexerint credent.*

2 Notandum 2. Diuinas illas futurorum ſub conditione reuelationes materiem Theologis præbere duplicis quæſtionis inſtituendæ. Prima eſt, an ex hujuſmodi reuelationibus euincatur, Deum certò cognoſcere talium futurorum veritatem, altera eſt an hæc Deus certò cognoſcat independenter à decreto efficaci ex parte obiecti conditionato.

Quod ad primam attinet quæſtionem, quam hoc capite in examen vocamus, contendit P. Vincentius, ſect. 2. art. 1. §. 1. ex diuinis reuelationibus futurorum ſub conditione, probabiliter dumtaxat colligi poſſe ineſſe Deo certam illorum futurorum notitiam; euinci autem non poſſe: idcirco reuelationes illas ſic interpretatur, vt non arguant in Deo judicium quo res illas affirmet eſſe futuras, ſed quo certò aſſerat illarum rerum futuritionem eſſe probabilem, ſeu probabile eſſe eas eſſe futuras; ſed contra ſingularem hanc opinionem

3 **Statuendum eſt ex diuinis reuelationibus futurorum ſub conditione tam certò colligi, eſſe in Deo huiuſmodi futurorum notitiam, vt ſententia oppoſita nulla veriſimili ratione defendi queat, hoc autem ſic demonſtratur.**

Deus interius & apud ſe illud iudicat eſſe

futurum, quod exterius declarat & prædicit eſſe futurum: neque enim Deus aliud interius judicat & aliud exterius affirmat, alioqui deciperet nos & contra propriam mentem loqueretur.

Atqui Deus prædicit Dauidi Saül venturum Ceilam, & Ceilitas ipſum tradituros, ſi ibi remaneat; prædicit & declarat exterius Tyrios conuertendos, ſi fierent apud illos virtutes quæ factæ ſunt apud Iudæos: prædicit iuſtum quẽ rapit ex hac vita in flore iuuentutis receſſurum à ſtatu juſtitiæ ſi diutius viueret: prædicit fore vt mulieres alienigenæ Iſraëlitarum corda auertant, vt ſequantur Deos alienos ſi cum ipſis matrimonio iungantur.

Ergo Deus interius & apud ſe judicat, hæc omnia contingentia eſſe futura, ſi ponantur hæ conditiones; Illud autem judicium non poteſt eſſe niſi certum & euidens, cum ineuidentia & incertitudo in Deum cadere nequeant. Ergo ex diuinis reuelationibus contingentium futurorum ſub conditione, euincitur manifeſtè certa in Deo eorumdem futurorum notitia.

Reſpondet P. Vincentius ibidem, hæc 4
omnia ſcripturæ loca, quibus Deus homines monet de rebus conditionatè futuris, non ſignificare res illas certò eſſe futuras, ſed probabile eſſe inſpectâ cauſarum propenſione eas eſſe futuras. *Licet enim*, inquit, *Deo*

repugnet cognitâ euidenter probabilitate illationis, rei illatæ aſſentiri: Quid vetat illa reuelare hominibus in periculo conſtitutis? Imò illos ad opinionem & metum malorum quæ imminent inducere, vt ſibi caueant, & conſulant. Et hæc, inquit, *ſolutio ſatisfacit omnibus ferè locis ex ſcriptura pro Scientia Media.*

Huic reſponſioni ſubiungit alteram, quam meritò vocat *Singularem.* Nam ad locum Mathæi de futura Tyriorum pœnitentia reſpondet, hæc dicta à Chriſto quà homine, non ſolum quia iudicabat euidenter, conuerſionem hanc eſſe probabiliter futuram, ſed etiam quia per iudicium probabile iudicabat eſſe futuram; quamuis enim cognitio probabilis *Chriſto quà Deo omnino repugnet, non videtur tamen Chriſtum quà hominem dedecere, & ex illa fuiſſe locutum.*

5 Ita P. Vincentius qui non veretur ipſi Chriſto cognitionem tribuere, quæ & obſcura eſt, & falſitati obnoxia, vt reſponſione tam ſingulari Scientiæ Mediæ fundamenta conuellat. At ſi S. Thomas cum vniuerſa Theologorum Schola negat eſſe in Chriſto fidem ſupernaturalem, propterea quod ſit obſcura, quamuis certa ſit atque infallibilis, quomodo audet iſte Author aſſerere, non dedecere Chriſtum quà hominem, cognitionem probabilem, quæ præter obſcuritatem, habet hanc inſuper imperfectionem, quod poſſit eſſe falſa? Viderint ſapientes quid de

Digitized by Google

opinione tam ſingulari ſentire debeant; Ego interim ad præcipuæ quam tradit reſponſioſionis impugnationem progredior.

Primum igitur non poteſt ſuſtineri quod 6
ait nihil vetare, quin Deus reuelet hominibus rem aliquam eſſe futuram, quamuis interius & apud ſe non judicet eſſe futuram, ſed 8
ſuum ſuſpendat judicium de eius futuritione, ne ſe exponat errandi periculo.

Etenim vetat ſumma Dei veracitas ne exterius denunciet hominibus aliquid eſſe futurum, quod apud ſe non judicat eſſe futurum, ne in errorem prolabatur; ſic enim ſuâ illâ prædictione externâ, exponeret homines quibus id denunciat, errandi periculo & firmiſſimè credendi tanquam verum, quod interdum eſt falſum; aliunde verò loqueretur ipſe contra propriam mentem, dum exterius affirmaret aliquid eſſe futurum, quod tamen non iudicat, nec iudicare audet eſſe futurum.

Sanè ſi quis inter homines aſſereret exterius verbis expreſſis aliquid eſſe, & tamen apud ſe non iudicaret, nec iudicare auderet eſſe, ne in errorem incideret; is profectò aut mentiri, aut parum ſincerè loqui diceretur. Vt quid igitur non veretur P. Vincentius hoc ipſum de Deo aſſerere, quod de viro honeſto, ſincer æque fidei affirmare non auderet?

Dices in illis ſcripturæ locis Deum non 7
denunciare exterius res illas eſſe conditionatè

futuras, ſed tantûm aſſerere eſſe probabile eas eſſe futuras, aut eſſe periculum ne eueniant inſpectâ cauſarum ſecundarum propenſione; at hoc ipſum Deus interius judicat euidenter; atque ita externa Dei reuelatio interno iudicio Dei plane reſpondet.

8 Sed hæc reſponſio præcedenti melior non eſt; Primò namque quando Dauid Deum interrogat, an Saül venturus eſſet Ceilam, & an Ceilitæ eſſent ipſum Saüli tradituri, non reſpondet Deus eſſe probabile, aut eſſe periculum ne hoc eueniat, ſi Dauid ibi remaneat, ſed abſolutè reſpondet; *deſcendet Saül, & tradent te Ceilitæ ſi apud illos remaneas.* Quo igitur iure P. Vincentius Deo loquenti alium ſenſum affingit ab eo quem eius verba ſignificant? Hæccine eſt eruditio illa recondita, quam nobis ſub huius ſectionis initium pollicebatur? Spes erat hoc audito nomine; intima rerum præcordia perſcrutatum illum, è profundo educturum aliquid rarum & ſuſpiciendum; at quidquid proponit, ſimul aſpicitur, deſpicitur quia falſum & cum Viro ſancto locus eſt querendi, pollinem promittis & furfures tribuis, argenti claritatem polliceris & ferri venam elargiris. Profecto ſi cuique liberum eſt ſcripturæ verba, inconſulta Patrum aut Eccleſiæ traditione, in quem voluerit ſenſum detorquere, licebit aduerſus P. Vincentium æquiori iure, quam ipſi aduerſus Vaſquem exclamare, actum

actum eſt de tota ſcriptura.

Deinde ex hac interpretatione ſequitur, 9
Deum non reſpondiſſe ad interrogationem Dauidis; Siquidem non quærebat Dauid an eſſet periculum, aut probabile Saülem venturum, cum id eſſe probabile iam intellexiſſet ex nuntiis, ac de fide Ceilitarum multum dubitaret; Sed Deum interrogabat, an de facto venturus eſſet Saül, & Ceilitæ ipſum traditurі, ſi ibi remaneret. At iuxta expoſitionem P. Vincentij, ad hoc non reſpondet Deus, ſed ad aliud de quo non interrogatur, dicens eſſe probabile Saülem venturum, & Ceilitas illi Dauidem prodituros, quod ab ipſo Dauide non quærebatur. Fatendum eſt igitur interpretationem illam P. Vincentij à legitimo ſcripturæ ſenſu eſſe totam alieniſſimam.

Tertiò ſi hæc expoſitio locum haberet in 10
prædictionibus quæ verſantur circa contingentia conditionatè futura, valeret pariter in reuelationibus diuinis quæ ſpectant ad contingentia abſolutè futura: Nam ſi, quando Deus reuelat Saülem venturum Ceilam, ſi Dauid ibi remaneat, licet reuelationem hanc ſic exponere, vt ſenſus ſit Deum reuelare dumtaxat eſſe probabile Saülem venturum ſi Dauid ibi remaneat; Quidni liceat homini neganti Deo præſcientiam contingentium abſolutè futurorum, ſic interpretari reuelationes omnes, quæ circa huiuſ-

modi futura verſantur, vt ſenſus ſit, Deum non reuelare ſimpliciter & abſolutè hæc eſſe futura, ſed tantùm eſſe probabile ea eſſe futura, aut eſſe periculum ne eueniant, atque ita euertetur vnum ex præcipuis fundamentis, quibus innititur diuina contingentium abſolutè futurorum præſcientia.

11 Quartò admiſsâ illâ expoſitione P. Vincentij inania & caſſa ſunt argumenta quibus vtitur magnus Auguſtinus, vt refellat Semipelagianorum errorem aſſerentium Deum in infantibus qui moriuntur ſinè baptiſmo, punire mala opera, quæ facturi eſſent, ſi ad ætatem adultam peruenirent.

Etenim Epiſt. 105. & lib. 1. de animâ & eius origine contra hunc errorem ſic diſputat Auguſtinus *ſi peccata quæ ſi homo viueret, commiſſurus eſſet, etiam non commiſſa damnantur in mortuo, nullum beneficium collatum eſt illi qui raptus eſt ne malitia mutaret intellectum eius; quandoquidem iudicabitur ſecundum eam quæ in illo fuerat futura malitia & tamen certum eſt hoc magni beneficij loco poni à Sapiente, quod homo rapiatur ex hâc vitâ dum iuſtus eſt, ne malitia mutet intellectum eius.*

Ita S. Auguſtinus cuius argumentatio nullam prorſus vim habet, iuxta interpretationem P. Vincentij, eam enim admittendo Semipelagiani reſpondere poterant, Deum his Sapientis verbis non aſſerere ho-

minem iuſtum, ſi diutius viueret à iuſtitiâ receſſurum, vt ſupponit Auguſtinus, ſed affirmare dumtaxat, eſſe periculum ne à viâ iuſtitiæ recederet, ſi diutius viueret, atque ita tota Sancti Auguſtini aduerſus illos argumentatio prorſus euaneſcit.

Præterea idem S. Doctor libro de bono perſeuerantiæ cap. 9. aduerſus eumdem Semipelagianorum errorem ſic diſputat, *Porro ſi etiam ſecundum facta quæ facturi eſſent ſi viuerent, mortui iudicantur, profecto quia fideles futuri erant iſti*, ſcilicet Tyrij & Sidonij, *ſi eis cum tantis miraculis fuiſſet Euangelium Prædicatum, non ſunt vtique puniendi; punientur autem: falſum eſt igitur ſecundum ea mortuos iudicari quæ facturi eſſent ſi ad viuentes Euangelium perueniret.*

At quis non videt hanc Sancti Auguſtini argumentationem nullius plane roboris eſſe, ſi valet interpretatio P. Vincentij. Reſponderent enim Semipelagiani. falsò ſupponere Auguſtinum, *Deum atteſtari*, quod Tyrij & Sidonij, *acturi eſſent magnæ humilitatis pœnitentiam, ſi in eis facta eſſent diuinarum illa ſigna virtutum.* Deus enim, vt quidem placet P. Vincentio, atteſtatur dumtaxat his verbis inſpectâ Tyriorum & Sidoniorum diſpoſitione eſſe probabile, quod eſſent acturi pœnitentiam; Atque hoc modo vim omnem Auguſtinianæ argumentationis eluderent.

12 Neque verò S. Auguſtini doctrinæ dumtaxat hæc P. Vincentij expoſitio repugnat, ſed ipſis etiam aduerſatur Thomiſtarum principiis. Etenim iuxta interpretationem iſtius Authoris, Deus ſpectatâ præcisè eorum diſpoſitione certò & euidenter iudicat, eſſe probabile Tyrios pœnitentiam acturos, ſi fiant apud illos virtutes quæ factæ ſunt apud Iudæos; Atqui ſecundum Thomiſtarum principia, non poteſt eſſe probabile Tyrios ſpectata præcisè eorum diſpoſitione pœnitentiam acturos, ſi fierent apud ipſos virtutes quæ factæ ſunt apud Iudæos; Ergo hæc huius Authoris interpretatio non eſt conſentanea Thomiſtarum principiis.

Minor propoſitio quæ ſola vocari poſſet in dubium, ſic demonſtratur: ſi poſita præcisè tali diſpoſitione cauſæ ſecundæ & talibus circunſtantiis abſque alio ſuperaddito, nunquam ponitur effectus aliquis ab illa cauſa neque poni poteſt: profectò non eſt probabile effectum illum ponendum à tali cauſa, poſita præcisè tali diſpoſitione cauſæ & talibus circumſtantiis. Nam probabilitas effectus ponendi in certis circumſtantiis ex eo maximè colligitur quod, poſitâ præcisè cauſa in talibus circumſtantiis, & cum tali diſpoſitione frequenter ponat effectum illum.

Atqui iuxta recentium Thomiſtarum principia, poſitâ præcisè Tyriorum diſpoſi-

tione & factis apud ipſos virtutibus quæ factæ ſunt apud Iudæos, nunquam agerent, nec poſſent agere pœnitentiam, niſi aliunde Deus decerneret efficaciter eos prædeterminare phyſicè ad agendam pœnitentiam. Ergo non poteſt eſſe probabile iuxta illorum principia, Tyrios ſpectata præcisè eorum, diſpoſitione pœnitentiam acturos, ſi fierent apud ipſos virtutes, quæ factæ ſunt apud Iudæos.

Potuit quidem Anonymus cuius doctrinam tueri voluit P. Vincentius admittere in Deo iudicium certum de probabilitate futuræ Tyriorum pœnitentiæ. Dum enim inter prærequiſita ad agendum, decretum efficax & Phyſicè prædeterminans non agnoſcat, & talem in Deo modum concurrendi cum cauſa ſecunda libera admittat, vt liberum ſit cauſæ ſecundæ eo concurſu vti & non vti pro ſuo arbitrio; facilè intelligitur quomodo iuxta illius principia probabile ſit Tyrios in tali diſpoſitione & cum tali oblatione concurſus ex parte Dei pœnitentiam acturos.

At in Thomiſtarum ſententia, quæ ſtatuit inter neceſſariò prærequiſita ad agendum ex parte Dei, eſſe decretum efficax prædeterminans Phyſicè cauſam ſecundam ad actionem, nulla poteſt admitti probabilitas futuritionis effectus: Aut enim cauſa ſecunda libera ponet infallibiliter effectum, ſi

Deus habet decretum illud, aut infallibiliter non ponet, quamcunque habeat diſpoſitionem, ſi non adeſt tale decretum ex parte Dei. Sed cum externi Authoris ſententiam propugnandam ſuſceperit P. Vincentius, nemini mirum videri debet, quod argumento pro Scientia Media aut conditionata propoſito eam reſponſionem adhibuerit, quæ à principiis domeſticorum, hoc eſt Thomiſtarum longiſſimè abhorreat.

13 Obiicit tamen idem Author eiuſdem ſectionis Art. 1. §. 1. ſicut omnipotentiæ nihil detrahitur, cum negatur fieri poſſe à Deo, quod fieri repugnat: Ita Scientiæ Diuinæ non fit iniuria aut imminutio, ſi dicatur id non attingere, cui certa veritas deſit. Atqui multis probatum eſt futuris conditionatis veritatem determinatam non competere ante decretum: Ergo Scientia Diuina ea non cognoſcit ante decretum.

Reſpondeo 1. argumentationem hanc eſſe digreſſionem à propoſito procul remotam, & P. Vincent. dici poſſe valdè accommodaté illud Hieron. ad Pammac. *Cur ab alio prouocatus, aliorſum arma conuertis? Palæſtinæ interrogaris & reſpondes Ægypto ... bene ſcripſeris. Sed nihil ad cauſam pertinet; benè ſit, bene, ſed quò iſtud bene*; neque enim iam quæritur, quomodo futuris conditionatis conueniat veritas, an dependenter vel independenter à decreto Dei

Digitized by Google

ex parte obiecti conditionato; ſed quæritur an reipſa futuris illis conueniat determinata veritas, abſtrahendo à modo quo illis conuenit: Hoc enim abſolutè negat Anonymus, & in hoc, cùm Thomiſtis, tùm Scientiæ Mediæ aſſertoribus aduerſatur. Verum vt hoc condonemus P. Vincentio.

Reſpondeo 2. eodem argumento aut nihil omnino probari, aut oſtendi, ne probabiliter quidem conuenire futuris illis veritatem determinatam ante decretum: Nam iuxta doctrinam Thomiſtarum & P. Vincentij, omnino repugnat futuris illis veritatem determinatam conuenire ante decretum efficax Dei: Ergo nequit eſſe probabile iiſdem veritatem conuenire ante idem decretum; Atque ita pugnat contra ſeipſum hic Author, & dum aduerſarios molitur lædere, ſuas contra ſe manus acuit, eique contingit, quod D. Athanaſius obſeruauit accidere volentibus nocere, qui manu ſumunt ignem vt hoſtem crement, nec aduertunt ſe comburi.

Reſpondeo 3. minorem argumenti propoſiti falſam eſſe eamque tam malè ſtabilitam à P. Vincentio ſuis rationibus à priori, vt eorum debilitas, opinionis quam tuetur falſitatem ingentem quam euidentiſſimè declaret.

Vnum eſt quod iuuat adiicere, ſcilicet nihil detrahi quidem diuinæ ſcientiæ, ſi di-

Digitized by Google

catur Deus illud non ſcire quod determinatam veritatem non habet, grauem tamen inferri iniuriam ſummæ Dei veracitati, ſi quis exiſtimat, Deum exterius denunciare aliquid eſſe futurum quod apud ſe non iudicat eſſe futurum. Quocirca cum ex ſacris paginis conſtet Deum exterius teſtificari multa eſſe futura conditionatè, dicendum eſt Deum interius & apud ſe iudicare, ea eſſe conditionatè futura; atque adeò eſſe in Deo certam & euidentem futurorum ſub conditione notitiam.

14 Obiicit inſuper idem Author ibidem: S. Thomas 2. 2. q. 71. Art. 1. ad 2. docet Prophetiam eſſe interdum impreſſionem Diuinæ Scientiæ, vt reſpicit futura in ſeipſis: atque ita certò eueniunt quæ reuelat vt illud Iſaiæ: *Ecce virgo concipiet*; interdum eſſe impreſſionem Diuinæ Scientiæ quatenus reſpicit inclinationem cauſarum ſecundarum ad effectum: Et tunc poteſt aliud euenire quam quod reuelatum eſt, licet prophetiæ non ſubſit falſum: quia ſenſus illius eſt, quod ea ſit inferiorum cauſarum diſpoſitio; ita exponitur illud Iſaiæ ad Regem Ezechiam *morieris tu & non viues. Atque hoc ſenſu, inquit, hic Author, explicare licet omnia futura conditionata quæ à ſcriptura prædicuntur.*

Reſpondeo 1. ſic quidem P. Vincentij placitum at; S. Thomæ multò aliter viſum, quod hoc

hoc poſtremo ſenſu explicare liceat omnia futura conditionata, quæ in ſacris litteris prædicuntur; At certè non magis licet hoc ſenſu explicare omnia futura ſub conditione quam omnia futura abſoluta, quæ in ſcriptura reuelantur: & tamen certum eſt, hoc vltimum non licere, idque apertè pugnare contra mentem S. Doctoris, malè ergo concluditur ex hoc S. Thomæ loco, licere hoc ſenſu explicare omnia futura contingentia conditionata, quæ à ſcriptura prædicuntur.

Reſpondeo 2. ex doctrina quam tradit S. Thomas 2.2. q.174. Art. 1. manifeſtè colligi in primò ſenſu non in ſecundo exponendas eſſe reuelationes futurorum ſub conditione, quas ſub huius capitis initium retulimus. Ibi enim docet obiectum prophetiæ eſſe illud quod eſt in cognitione diuina. *Futurum autem, inquit, eſt in cognitione diuina dupliciter; vno modo prout eſt in ſua cauſa, & ſic accipitur prophetia comminationis quæ non ſemper impletur ſed per eam prænunciatur ordo cauſæ ad effectum qui quandoque aliis ſuperuenientibus impeditur. Alio modo præcognoſcit Deus futura in ſeipſis; & hæc vel ſunt facienda ab ipſo Deo, & horum eſt Prophetia prædeſtinationis, quia ſecundum Damaſcenum Deus prædeſtinat ea quæ non ſunt in nobis: vel ſunt facienda per liberum hominis arbitrium: & hæc eſt Prophetia præſcientiæ.*

Ex his autem S. Doctoris verbis ſic diſputo contra P. Vincentium; Prophetia præſcientiæ iuxta Doctorem Angelicum, eſt impreſſio Diuinæ Scientiæ, quatenus reſpicit futurum vt eſt actu in ſeipſo: At iuxta eumdem, ea quæ ſunt futura dependenter à libero hominis arbitrio pertinent ad Prophetiam præſcientiæ: Ergo Prophetia eorum quæ ſunt futura dependenter à libero hominis arbitrio, eſt impreſſio Diuinæ Scientiæ prout reſpicit futura vt ſunt in ſeipſis.

Atqui reuelationes futurorum ſub conditione quas retuli, verſantur circa futura dependenter à libero hominis arbitrio, vt ſunt deſcenſus Saülis ad Ceilam, ſi Dauid ibi remaneat, pœnitentia Tyriorum ſi fierent apud ipſos virtutes quæ factæ ſunt apud Iudæos, & receſſus hominis iuſti à iuſtitia, ſi diutius viueret; Ergo iuxta doctrinam S. Thomæ reuelationes illæ ſunt impreſſiones Diuinæ Scientiæ quatenus reſpicit futura in ſeipſis: quæ vt ait idem S. Doctor ita conſiderata certò eueniunt.

15 Hinc porrò Lector eruditus intelligat quam falsò pronunciatum ſit à P. Vincentio Art. 1. §. 2. *adeò infirma eſſe argumenta quæ in gratiam Scientiæ Mediæ ex ſcriptura depromimus, vt niſi ferè nobis gratis concedat, dari certam & Deo dignam conditionatorum ſcientiam vix, vllo legitimo argumento*

Digitized by Google

id conficere valeamus.

Et ſanè ſi certa futurorum ſub conditione notitia, in Deo vix vllo legitimo argumento adſtruitur; ſi fere gratis eſt concedenda; vt quid igitur P. Vincentius hac in re nobis aſſentitur, & ſtatuit certam ineſſe veritatem huiuſmodi futuris, quæ extant in ſacris paginis reuelata? Vt quid tam apertè declarat *ſe cum Thomiſtis recentioribus probabilius ſentire*, certam in eſſe Deo horum futurorum notitiã? An poteſt eam ſententiã amplecti vt magis probabilem, *quæ niſi ferè gratis concedatur, vix vllo legitimo argumento probari poteſt?* At is proprius ac genuinus character eſt opinionis improbabilis, vt argumentum validum nullum habeat; ſubeat hîc ergo mirari alternantem P. Vincent & vario iudiciorum æſtu fluctuantem. Namq; ancipiti preſſus opinionis formidine vt ſcopulũ timet quod portum eſſe iudicat; & modo ſententiam illam probabiliorem putat, ſuoque illam ornat ſuffragio; modo tolerabili aliqua ratione tam deſtitutam dicit, vt ſectatorem habitura ſit neminem (illi ſi credere dignum eſt,) niſi liberalis aliquis Theologus hanc vltrò & prope gratis conceſſerit.

Digitized by Google

CAPVT. SECVNDVM.

An ex adductis ſcripturæ locis rectè concludatur Deum hæc futura certò cognoſcere independenter à decreto efficaci ex parte obiecti conditionato.

SI P. Vincentium audire lubet cum ſtatum huius controuerſiæ proponit; adeo infirma ſunt argumenta, quæ in Scientiæ Mediæ fauorem ex ſcriptura deſumimus, vt nullâ veriſimili ratione poſſimus probare, Deum futura conditionata certò cognoſcere ſemoto actuali decreto conditionato. At non diu ſibi conſtat hic Author; quando enim ſoluendum eſt argumentum quod ex verbis Chriſti Math. ij pro Scientia Media depromitur, tum verò eorum quæ ſub initium articuli dixerat, immemor, vltro fatetur eiuſd. Articuli §. 3. *non eſſe dubium quin illud argumentum ſit ex tota Theologia difficillimum.* Experiamur igitur quo tandem ipſe modo ab hac difficultate ſeſe expediat.

16 Pro Scientia Media ſic eius defenſores ex verbis Chriſti Math. ij. argumentari ſolent. Deus certò nouit ab æterno Tyrios pœniten-

Digitized by Google

tiam acturos, ſi fierent apud illos virtutes quæ apud Iudæos factæ ſunt; & tamen nullũ fuit in Deo decretum, quo efficaciter ſtatuerit ab æterno Tyrios phyſicè prædeterminare ad pœnitentiam, ſi fiant apud illos virtutes quæ factæ ſunt apud Iudæos. Ergo Deus certo nouit pœnitentiam Tyriorum conditionatè futuram independenter à decreto ex parte obiecti conditionato.

Antecedens, quantum attinet ad ſecundam partem ſic oſtenditur; Chriſtus Dominus eo in loco obiurgat Iudæos comparatione facta cum Tyriis, propterea quod non egerint pœnitentiam, quam Tyrij homines gentiles egiſſent, ſi factæ apud ipſos fuiſſent eædem virtutes, quæ apud Iudæos factæ ſunt. Illa autem Chriſti obiurgatio prorſus illegitima foret, admiſſo illo decreto Dei reſpectu Tyriorũ; huius enim ſenſus eſſet iſte, væ vobis Iudæi, quod pœnitentiam non egeritis? quia ſi apud Tyrios factæ fuiſſent virtutes, quas feci apud vos, Pater meus ſtatuerat ab æterno illos phyſicè prædeterminare ad agendam pœnitentiam quam tali auxilio inſtructi in cilicio & cinere egiſſent.

Quis autem non videt increpationem hanc eſſe illegitimam atque ironicam & huic non abſimilem, qua Princeps aliquis vnum è ſuis ducibus ſic obiurgaret: Væ tibi dux ignauiſſime, quod cum mille militibus quos tibi dederam hoſtes non vi-

ceris: nam ſi hos dediſſem huic alteri duci, ſtatueram apud me illi dare inſuper decem militum millia, cum quibus glorioſam de hoſtibus victoriam retuliſſet. Nemo autem eſt qui non fateatur genus illud obiurgationis citra irriſionem atque iniuſtitiam vſurpari à quoquam non poſſe.

17 Confirmatur, obiurgatio Iudæorum factâ comparatione cum Tyrijs non eſt legitima ſecundum principia Thomiſtarum, ſi iuxta illos Tyrij iis tantum auxiliis inſtructi quibus Iudæi, non magis egiſſent pœnitentiam quam Iudæi: iſti autem è contrario non minus egiſſent pœnitentiam quam Tyrij, ſi Deus habuiſſet idem decretum erga ipſos, quod habuit erga Tyrios.

Atqui ſecundum Thomiſtarum doctrinam, Tyrij iiſdem tantum auxiliis inſtructi non magis egiſſent pœnitentiā quam Iudæi; iſti autem non minus egiſſent pœnitentiam quam Tyrij, ſi Deus habuiſſet decretum efficax eos prædeterminandi phyſicè ad pœnitentiam, quod habuit reſpectu Tyriorum: ergo ſecundum Thomiſtarum principia obiurgatio Iudæorum præ Tyriis à Chriſto facta non eſt legitima.

En argumentum quod P. Vincentius agnoſcit ingenuè, vnum eſſe *ex tota Theologia difficillimum*; Audiamus igitur ecquid tandem ad illud reſpondeat.

18 Prima eius reſponſio eſt; eamdem diffi-

cultatem ſibi obiéciſſe D. Paulum ad Rom. 9. & ex illo S. Auguſtinum & S. Proſperum. Cum enim Apoſtolus dixiſſet, *ergo cuius vult Deus miſeretur, & quem vult indurat* ſtatim ſibi obiicit, *dices itaque mihi quid adhuc quæritur, voluntati enim eius quis reſiſtit!* Ad quod reſpondit, *O Homo tu quis es qui reſpondeas Deo!* Huius obiectionis ſenſus eſt, iniquè arguor quod non reſipuerim; hoc enim mihi imputandum non eſt, cui defuit gratia efficax citra quam impoſſibile eſt, meam vitam corrigam. Quid verò D. Paulus hanc obiectionem non dignatus ſoluere, ſic arguentem reprehendit, *O Homo tu quis es qui reſpondeas Deo*; Ita P. Vincentius ſect. 2. Art. 1. §. 3. vbi S. Pauli, vt putat, inhærendo veſtigiis, quod ſibi obiecerat argumentum, quodque difficillimum eſſe dixerat, non dignatus ſoluere, non reprehendit quidem arguentes, ſed contra Scientiam Mediam hunc in modum argumentatur.

Vel latuit D. Paulum diſcrimen gratiæ faciendum ante omne decretum Dei ex præuiſione conſenſus, vel illud myſterium illi innotuit, ſed tacuit ſola admiratione contentus; ſi primum ſuſpecta, imo damnanda Theologia qnam D. Paulus ignorauit. Si poſtremum, reus erit Apoſtolus detentæ & oppreſſæ veritatis, & præuaritationis cauſæ Dei, quam cum vno verbo tutari poſſet,

aduerſus impios, paſſus eſt in graue ſcandalum incurrere. Hactenus ille.

Verum in quantis peccet iſta reſponſio, manifeſtum fit ex iis quæ tradit S. Thomas in ſuis commentariis in Epiſtolas S. Pauli, dum illum Apoſtoli locum interpretatur; *Dicis itaque mihi. Quid adhuc quæritur?*

19 Ac primò quidem fallitur Author iſte, dum ſibi perſuadet argumentum præcipuum quo Scientia Media ſtabilitur eamdem continere difficultatem, quam ſibi Apoſtolus obiicit ad Rom. 9. dum ait, *dices itaque mihi. Quid adhuc quæritur.* Etenim obiectio quam eo loci ſibi proponit Apoſtolus, poteſt iuxta S. Thomam tripliciter efformari.

Primus modus eſt, ſi Deus cuius vult miſeretur, & quem vult indurat, *quid adhuc quæritur?* id eſt quid oportet vlterius quærere cauſam bonorum & malorum, quæ aguntur, cum omnia attribuantur diuinæ voluntati, cui nullus poteſt reſiſtere.

At nemo eſt tam cœcus qui non videat obiectionem hanc eſſe omnino aliam ab ea quam nos Thomiſtis opponimus; quamuis enim ex ſententia Thomiſtarum qui ſtatuunt, Deum prædeterminare phyſicè hominũ voluntatem ad actus malos ſecundum materiale, videatur concludi poſſe, Deum eſſe cauſam malorum perinde ac bonorum, de quo ſuo loco agendum erit; de hoc tamen

præſens

præſens controuerſia non eſt; hoc enim ſolum contendimus, obiurgationem Chriſti aduerſus Iudæos factâ eorum comparatione cum Tyrijs non eſſe legitimam, admiſſo decreto illo efficaci circa Tyriorum pœnitentiam: Iudæi quippe perinde egiſſent pœnitentiam ac Tyrij, ſi tale decretum habuiſſet Deus de ipſorum pœnitentia; Tyrij autem non magis egiſſent pœnitentiam quam Iudæi, ſi decretum illud defuiſſet.

Alter obiectionis modus eſt iuxta eumdem 20
S. Doctorem, ſi Deus cuius vult miſeretur, & quem vult indurat, *quid adhuc quæritur?* Hoc eſt quid conqueritur Deus de hominibus, quando peccant; quandoquidem ex eius voluntate, cui nullus poteſt reſiſtere totum procedit.

Atqui difficultas quam Thomiſtis obiicimus eſt ab ea planè diuerſa; neque enim iam dicimus, ex illorum doctrina ſequi Deum non poſſe iuſtè conqueri de hominibus quando peccant, quia ſecundum ipſos hoc procedit ex voluntate Dei hominum peccantium voluntates efficaciter prædeterminantis ad actus malos; ſed ſtatuimus contra ipſos, admiſſo decreto illo efficaci de Tyriorum pœnitentia, increpationem Iudæorum ob non actam pœnitentiam, factâ eorum comparatione cum Tyrijs, legitimam eſſe non poſſe; quod ſanè longè diuerſum eſt.

Tertius obiectionis modus iuxta S. Tho- 21

mam eſt, ſi Deus cuius vult miſeretur & quem vult indurat, id eſt, quid requiritur ab homine vt faciat bonum vel malum; fruſtra namque requiritur ab aliquo quod non eſt in eius poteſtate; nihil autem eſt in hominis poteſtate, ſi omnia adſcribuntur diuinæ voluntati, cui reſiſtere non poteſt. *Et hæc*, inquit Doctor Angelicus, *videtur eſſe intentio Apoſtoli*, hoc eſt ſenſus legitimus obiectionis quam ſibi proponit Apoſtolus. Verum nemo eſt hominum qui non intelligat ſenſum hunc nihil habere commune cum difficultate quam Thomiſtis opponimus. Neque enim quærimus, an ſit in hominis poteſtate facere bonum & declinare à malo, admiſſâ Thomiſtarum ſententia de Phyſica prædeterminatione ad bonum & malum neceſſariò præ-requiſita, cum hæc quæſtio alterius ſit loci; ſed vrgemus Thomiſtas ex eo quod admiſſo decreto illo efficaci de Tyriorum pœnitentia non poteſt oſtendi, quomodo legitima ſit increpatio Iudæorum præ Tyrijs, propterea quod non egerint pœnitentiam, quam Tyrij egiſſent.

22 Ex his quæ hactenus retuli ex S. Thoma, vel cœco appareat, difficultatem quam ſibi Apoſtolus obiicit, ab ea quam nunc Thomiſtis opponimus eſſe planè diuerſam. Addo tamen quamuis eadem planè foret objectio, fieri poſſe, vt malè & citra fundamentum obiiciatur Apoſtolo, quod rectè & cum fun-

damento Thomiſtis opponitur. Quamuis enim verum ſit, Deum cuius vult miſereri, dum eum à peccato extrahit, tribuendo auxilia cum quibus præuidit eum pœnitentiam acturum ſi dentur, & quem vult indurare, ei ſcilicet non tribuendo auxilium gratiæ cum quo videt à peccato receſſurum ſi daretur; inde tamen non ſequitur Dei voluntatem perinde eſſe cauſam mali ac boni in hominibus. Atque ita immeritò illud obiicitur Apoſtolo, quaſi id ſequeretur ex doctrina quam tradit.

Contra vero, ſi cum Thomiſtis dicatur Deus vnius miſereri, quatenus illum Phyſicè prædeterminat ad actum bonum, & alterum indurare, quatenus illum Phyſicè prædeterminat ad obſtinationem in malo, profectò negari non poteſt, explicatu difficillimum eſſe, quomodo ipſis non rectè obiiciatur, quod malè obiicitur Apoſtolo, videlicet fruſtra requiri ab homine vt faciat bonum vel malum, cùm neutrum ſit in eius poteſtate, & vtrumque pendeat ex libera Dei voluntate, qui hominem ad quod vult Phyſicè prædeterminat. Sed difficultas hæc, vt iam dixi, alterius eſt loci.

Præterea in magno eſt errore P. Vincentius, dum credit & dicit, Apoſtolum difficul- 23
tatem hanc non eſſe dignatum ſoluere, ſed arguentem ſic reprehendiſſe, *O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo?* Vt eum deterreret à

tanta profunditate ſcrutanda. Etenim Sanctus Thomas dum illum Apoſtoli locum exponit, diſertiſſimè docet, Apoſtolum huic quæſtioni dupliciter reſpondere, tacitè nimirum & expreſſè.

Primò namque tacitè reſpondet Apoſtolus his verbis, *O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo?* Cum enim obijciens intenderet Deum iniuſtitiæ & iniquitatis arguere, ſi non eſt alia cauſa cur vnius miſereatur & alterum induret præter ſolam ipſius Dei voluntatem; Reſpondet Apoſtolus, iuxta Sancti Thomæ expoſitionem, cur Deus velit vnius miſereri, & alterum indurare, rationem aliam aſſignari non poſſe, niſi ſolam Dei voluntatem. Cum enim ambo ſint in ſtatu peccati, & apti vt ſint vaſa contumeliæ, quod Deus vnum ex illo ſtatu extrahat per miſericordiam, & alium in eo ſtatu relinquat ex iuſtitia, non poteſt alia reddi ratio niſi ſola Dei voluntas; quod egregiâ comparatione explicat ibidem Doctor Angelicus.

Sed quoniam obiiciens ex eo conabatur concludere iniquitatem eſſe apud Deum, & malum perinde ac bonum eius voluntati adſcribendum, huic reſpondet tacitè Apoſtolus dicens, ô homo tu quis es, qui audes Deum iniuſtitiæ & iniquitatis arguere? Quod vnius miſereatur, & alterum induret, perinde quaſi tibi rationem reddere teneatur eorum quæ facit.

Deinde obicienti directè reſpondet, oſtenditque nullam in ea Dei voluntate eſſe iniuſtitiam, dum ait. *Nunquid dicit figmentum ei qui ſe finxit, quid me feciſti ſic? Annon habet poteſtatem figulus ex eadem maſſâ facere, aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam!* Quaſi diceret voluntas figuli non eſt iniuſta, quamuis ex eodem luto, quod vilis eſt materia, fingat vnum vas in honorem & aliud in contumeliam, ergo voluntas Dei iniuſtitiæ & iniquitatis meritò argui non poteſt, quando ex duobus per peccatum corruptis, & dignis qui ſint vaſa iræ & contumeliæ, vnum misericorditer aſſumit, vt vas in honorem, & alium in eo ſtatu relinquit ex iuſtitia, vt ſit vas in contumeliam.

Hæc eſt ſolida & aperta huius quæſtionis ſolutio ab Apoſtolo tradita, quam ſi expendiſſet. P. Vincentius, aut oraculum domeſticum, Sanctum Thomam hunc Apoſtoli locum exponentem conſuluiſſet, nunquam profectò ex facili pronunciaſſet, Apoſtolum non eſſe dignatum hanc quæſtionem ſoluere, ſed arguentem tantùm reprehendiſſe, vt eum ab hoc myſterio ſcrutando auerteret.

Neque vero fortius alios laceſſit, quam ſe 24
defendit; vel felicius argumentatur hîc Author, quam reſpondet ad objectiones aduerſariorum. Quando enim contra Scientiam Mediam ſic diſputat, *Vel latuit D. Paulum diſcrimen gratiæ faciendum antè omne decre-*

Digitized by Google

tum Dei ex præuiſione conſenſus, vel hoc illi innotuit. Non eſt difficile reſpondere, Apoſtolum non nouiſſe diſcrimen gratiæ, faciendum ex præuiſione conſenſus ante decretum; hoc enim myſterium gratiæ non eſt, ſed merum figmentum, quod nulli Theologo vnquam venit in mentem.

Et ſanè ſi quod eſt diſcrimen inter gratiæ auxilia quantùm ad ſubſtantiam, euidens eſt illud non peti ex præuiſione conſenſus, ſed eſſe ipſis auxiliis intrinſecum: ſi ſpectetur eorum diſcrimen quantùm ad effectum, hoc eſt quatenus vnum haberet effectum ſi daretur, & aliud non haberet; manifeſtum pariter eſt, diſcrimen illud non peti ex præuiſione conſenſus, cum huic potius præuiſioni præſupponatur. Non igitur nouerat Apoſtolus *Diſcrimen aliquod gratiæ faciendum ante decretum ex præuiſione conſenſus, cum hoc apertè ſit falſum.*

25 Cæterum ſi Author iſte quærit an S. Paulus noſſet eſſe in Deo Scientiam per quam Deus nouit ante omne decretum actuale, quibus gratiæ auxilijs ſint homines ſinguli conſenſuri, & quibus non ſint conſenſuri ſi dentur; Reſpondeo D. Paulo id fuiſſe planè perſpectum: nouerat enim exprobrationem à Chriſto factam Iudæis, quod pœnitentiam non egerint quam egiſſent Tyrij, eſſe legitimam: Hoc autem noſſe non poterat, niſi hanc in Deo Scientiam admiſiſſet.

Digitized by Google

At quid inde tandem concluditur. Ergo, inquis, reus eſt Apoſtolus detentæ & oppreſſæ veritatis, & præuaricationis cauſæ Dei, quam vno verbo tutari poterat; mirabilem planè conſecutionem! quæ tamen, pace dixerim P. Vincentij, non ex Scientiæ Mediæ notitia quam habuit Paulus, ſed ex inani & falſa ipſius Vincentij imaginatione deducitur. Cenſet enim Apoſtolum ad difficultatem propoſitam non eſſe dignatum reſpondere, cum tamen eam optimè ſoluat, nec patiatur ſuo ſilentio cauſam Dei in ſcandalum impiorum incurrere.

Quod ſi Author iſte vlterius inquirat, 26
quid cauſæ ſit cur Apoſtolus ad illam quæſtionem ſoluendam, Scientiam Mediam non adhibuerit? Reſpondeo vt non omnis calceus idoneus eſt ad cuiuſuis hominis pedem, ita Scientiam Mediam non eſſe idoneam ad ſingulas Theologiæ difficultates explanandas.

Inter illas autem, ad quarum ſolutionem non eſt idonea, numeranda eſt quam verſabat Apoſtolus, ſcilicet cur non ſit iniquitas apud Deum, dum ex duobus peccati originalis aut actualis reis, vnius miſeretur & alterum indurat, ſeu vni tribuit auxilium gratiæ cum quo reſipiſcat, alteri vero non item, ſed illum mori ſinit in ſuo peccato. Ad hanc enim quæſtionem ſoluendam nihil omnino facit Scientia Media, nec melior adhiberi

Digitized by Google

poteſt reſponſio, quam illa Apoſtoli, *O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui ſe finxit, quid me feciſti ſic? Annon habet poteſtatem figulus luti, &c.*

27 Sed quoniam P. Vincentius aduerſus Scientiam Mediam vſus eſt argumento, cuius totum robur duobus perſpicuè falſis principiis ſtat; ſupponit enim Apoſtolum ad propoſitam difficultatem non reſpondere; & Scientiam Mediam ad eius ſolutionem eſſe idoneam; cum tamen vtrumque ſit falſum, non abs re fuerit argumento non abſimili Thomiſtarum doctrinam oppugnare.

28 Quando D. Paulus ſibi obiicit ex doctrina quam tradiderat ſequi Deum iniuſtè conqueri de peccatoribus, quod à peccatis non abſtineant, cum hoc non ſit in eorum poteſtate, ſed Dei qui cuius vult miſeretur, & quem vult indurat; vel nouerat hæc Thomiſtarum principia, videlicet, *auxilium prædeterminans Phyſicè non eſſe neceſſariò prærequiſitum vt homo poſſit facere bonum & declinare à malo, ſed tantùm vt faciat bonum & malum vitet; Deum non prædeterminare hominem ad formale peccati, ſed tantum ad materiale; Deum prædeterminare voluntatem ad actus bonos & malos, non ſolùm quod ſubſtantiam, ſed etiam quoad modum libertatis*; vel illa non nouerat? Si hoc poſtremum dixeris, *ſuſpecta omnino, imo & damnanda Theologia quam ignorauit*

ignorauit magnus ille Apoſtolus, ſi prius conceſſeris, erit igitur D. Paulus *reus detentæ & oppreſſæ veritatis, & præuaricationis in cauſa Dei*; hanc enim cum vno ex tribus hiſce principiis tutari poſſet aduerſus impios, paſſus eſt in graue ſcandalum incurrere.

En argumentum contra Thomiſtas eiuſdem formæ cum Vincentiano; an autem validius ſit, ipſi P. Vincentio expendendum relinquo. Cæterum Si in ea ſententia eſt, vt exiſtimet *Pauli ſilentium*, circa Scientiam Mediam, *grauius & expreſſius eſſe contra huiuſmodi ſcientiam quâlibet cenſurâ in illam conceptis verbis latâ* vt loquitur ſect.2. art. 4. §. 5. quamuis certiſſimum ſit D. Paulum eo in loco de Scientia Media ſilere debuiſſe, cum nihil prodeſſet ad difficultatis propoſitæ ſolutionem; viderit ipſe, viderit num potiori iure mihi liceat pronunciare hoc *D. Pauli Silentium* circa tria hæc Thomiſtarum principia *grauius & expreſſius eſſe* contra huiuſmodi principia, quâlibet cenſurâ in ea Principia *latâ*; cum negari non poſſit à D. Paulo ad difficultatis propoſitæ ſolutionem adhiberi ea debuiſſe, ſi vera eſſe cenſuiſſet; damnat igitur Apoſtolus ea dum tacet, neque tam ſeuerè illa reprehenderent viri docti horum oſores, quia veritatis amantes, conceptâ duris & indignantibus verbis formulâ, quam Paulus cenſorio illo ſuo ſilentio.

Q

Digitized by Google

Capvt Tertivm.

Refelluntur aliæ P. Vincentij Reſponſiones.

VIdit haud dubiè P. Vincentius primam quam ſuperiori argumento ſolutionem adhibuit, minus ſolidam eſſe, quam vt vim argumenti, quod ipſius iudicio eſt vnum *Ex tota Theologia difficillimum*, infringere queat. Quapropter ad alias confugit reſponſiones, quæ vt mox conſtabit, priori quam reiecimus, ſolidiores non ſunt.

29 Primum ergo contendit, argumentum pro Scientia Media ex verbis Chriſti Math. 11. petitum, ipſis Scientiæ Mediæ defenſoribus eſſe ſoluendum. Quamuis enim exiſtiment auxilia gratiæ cum quibus Tyrij pœnitentiam egiſſent, eſſe Phyſicè æqualia auxilijs, cum quibus Iudæi pœnitentiam non egerunt; ſtatuunt tamen eſſe inæqualia moraliter & in ratione beneficij; ita vt idem auxilium ſit maius in ratione beneficij, reſpectu illius qui illi conſentit, quàm alterius qui ei diſſentit. Hinc autem ſic arguitur. Inæqualitas auxiliorum moralis & in ratione beneficij, non impedit quominus obiurgatio Iudæorum præ Tyrijs ſit legitima: Ergo inæ-

qualitas Phyſica auxiliorum non impedit
eiuſdem obiurgationis æquitatem.

Ad hoc argumentum quod pluribus con- 30
futaui diſp. 5. de Scientia Dei c. 2. iterum
reſpondeo paritatem nullam penitus eſſe,
atque adeo conſequentiam omnino falſam.
Ratio eſt, quia inæqualitas Phyſica auxilio-
rum, idcirco reddit illegitimam obiurgatio-
nem vnius qui non conſentit præ alio qui
conſentit, quia ſupponit in eo qui conſentit
aut maiores vires, aut aliquid neceſſariò prære-
quiſitum ad conſenſum, quo caret is qui non
conſentit, quodque ſi habuiſſet, perinde con-
ſenſiſſet ac alter.

Contra vero inæqualitas auxilij moralis
ſeu in ratione beneficij, non reddit illegiti-
mam obiurgationem vnius præ alio, quia ra-
tione huius inæqualitatis is qui conſentit, ne-
que habet maiores vires, neque aliquid ad
agendum neceſſariò prærequiſitum, quod
non habeat alius qui non conſentit; Hæc
enim inæqualitas moralis in eo conſiſtit, quod
poſita præuiſione conſenſus ponendi à Paulo
ex. c. ſi detur tale auxilium, Deus decernit
abſolutè illud dare ex ſpeciali intentione vt
Paulus conſentiat. Hæc autem ſpecialis in-
tentio nec auget vires Pauli ad conſentien-
dum, nec illi tribuit aliquid neceſſariò requi-
ſitum ad conſenſum, quod non habeat alius
qui non conſentit. At quamuis in Deo non
foret illa ſpecialis intentio, modo tamen da-

Digitized by Google

retur Paulo auxilium cui præuidetur conſenſurus, huic reipſâ conſentiret.

31 Non potuit latere P. Vincentium iſta reſponſio, cum eam paſſim legere liceat apud Scientiæ Mediæ patronos: Idcirco ad aliam recurrit, quam hauſit ex Salmanticenſibus. Hi quippe ſtatuunt iuſtè increpari Iudæos à Chriſto, quia quamuis non habuerint auxilium Phyſicè prædeterminans, quod dandum erat Tyrijs; debuerunt tamen agere pœnitentiam, cum illam agere poſſent beneficio auxilij ſufficientis quod ipſis non defuit.

Verum neque ſolutio iſta ſatisfacit, ſed auget potius difficultatem. Primum enim
32 inexplicabile eſt, quomodo is qui caret aliquo neceſſariò prærequiſito ad agendum pœnitentiam, quod non eſt in ipſius ſed in ſolius Dei poteſtate, dici queat, debere, & poſſe agere pœnitentiam; quandoquidem hoc ei non minus eſt impoſſibile, quam ſi careret auxilio ſufficienti ad pœnitentiam.

33 Deinde vt demus liberaliter P. Vincentio, quod extorquere argumentorũ vi aut obtinere iure ſuo non poteſt, videlicet debuiſſe Iudæos & potuiſſe agere pœnitentiam, quamuis ipſis defuerit auxilium Phyſicè prædeterminans, quod eſt vnum ex neceſſariò prærequiſitis ad pœnitentiam agendam: contendimus tamen eos increpari legitimè non poſſe iuxta Thomiſtarum principia, factâ illorum comparatione cum Tyrijs.

Digitized by Google

Ratio eſt quia non poteſt iuſtè exprobrari Iudæis,quod non egerint pœnitentiam quam egiſſent Tyrij, ſi verum eſt Tyrios ijs tantum inſtructos auxiliis, quæ data ſunt Iudæis, non magis acturos pœnitentiam quam Iudæos: iſtos autem è contrario non minus acturos pœnitentiam quam Tyrios, ſi ipſis datum fuiſſet auxilium phyſicè prædeterminans, quod Tyrijs dandum erat iuxta Thomiſtas. Atqui hoc totum veriſſimum eſt ſecundum Thomiſtarum principia; ergo iuxta illorum principia non potuerunt Iudæi legitimè obiurgari à Chriſto, factâ eorum comparatione cum Tyrijs.

Venio ad alteram P. Vincentij reſponſionem quæ ſingularis eſt ac planè mirabilis. Ac primò quidem ſupponit contra Ioannem à S. Thoma, alioſque Thomiſtas, auxilium efficax gratiæ, quod iuxta Thomiſtas idem eſt ac auxilium Phyſicè prædeterminans, non ſolùm tribuere voluntati vt agat, ſed etiam vt poſſit agere; continet enim, inquit, ſect. 2. art. 1. §. 4. perfectionem auxilij ſufficientis & eius inſuper vſum, ſicut anima rationalis includit gradum animæ ſenſitiuæ & vegetatiuæ & inſuper rationis vſum & facultatem. Deinde verò ſubiungit auxilium phyſicè prædeterminans eſſe prius & poſterius ipſo conſenſu, ſicut iuxta Thomiſtas gratia ſanctificans eſt prior actu contritionis in genere cauſæ efficientis, & poſterior in genere cauſæ 34

Digitized by Google

materialis & diſpoſitiuæ.

35 Hæc P. Vincentius, qui dum propoſitam ab aduerſarijs difficultatem, ſoluere nititur, in grauiores delabitur, à quibus expedire ſe nequeat: & cum rem intellectu perdifficilem illuſtrare deberet, fumo & caligine illam circumfundit, cernere ne quis, neuè intelligere valeat.

Et ſanè quod principio ſtatuit auxilium Phyſicè prædeterminans non ſolùm dare agere ſed etiam poſſe, auget potius quam minuit vim argumenti à nobis propoſiti: Hinc enim ſequitur minus iuſtam eſſe obiurgationem Iudæorum præ Tyrijs, iſti quippè iuxta Doctrinam P. Vincentij ex efficaci Dei decreto, habuiſſent auxilium gratiæ quod non habuerunt Iudæi; & huius auxilij beneficio habuiſſent omnia neceſſariò prærequiſita, & inſuper maiores vires ad agendum; quod vtrumque Iudæis defuiſſe conſtat ex Thomiſtarum principijs.

Deinde fictitia eſt ac planè chimærica prioritas illa & poſterioritas reſpectu eiuſdem in diuerſo genere cauſæ, materialis ſcilicet ſeu diſpoſitiuæ, & efficientis. Atque id planè repugnare pluribus demonſtrat, Cardinalis de Lugo diſput. 8. de pœnit. ſect. 7. quem immeritò vt oſtendam inferiùs, pro ſe allegat P. Vincentius.

Præterea actio quæ fit vi auxilij efficacis non poteſt eſſe prior illo in genere cauſæ ma-

Digitized by Google

terialis & diſpoſitiuæ; alioqui prior eſſet obedientia quam gratia, ſaltem per modum diſpoſitionis, quod contra ſemipelagianos negatur à ſanctis Patribus. Ac profecto dolendum eſt, quod hæc prioritas & poſterioritas reſpectu eiuſdem in diuerſo genere cauſæ, latuerit Proſperum, Auguſtinum, & Maſſilienſes; iſti quippè in errorem non incidiſſent, dicendo ſe nihil aliud docere niſi fidem eſſe priorem auxilio gratiæ in genere cauſæ materialis & diſpoſitiuæ; quod non impedit, quominus eius gratiæ auxilium, quod datur à Deo intuitu huius diſpoſitionis, ſit prius ipſâ fide in genere cauſæ efficientis.

Potuiſſet pariter eadem ratione obſtruere os ſemipelagianis S. Auguſtinus; cum enim obiicerent, vocatione illâ ſecundum propoſitum remoueri omnem humanam induſtriam, & induci fatalem neceſſitatem; potuiſſet facilè hanc obiectionem ſoluere, dicendo auxilium gratiæ eſſe tantum prius voluntatis conſenſu in genere cauſæ efficientis, ipſum autem conſenſum eſſe priorem auxilio gratiæ in genere cauſæ materialis & diſpoſitiuæ.

Atque vt vtar ratiocinatione huic non ab ſimili, qua vſus eſt P. Vincentius, cum de mente D. Pauli ageretur: vel magnus ille gentium Apoſtolus nouerat auxilium gratiæ eſſe prius conſenſu in genere cauſæ efficientis; & illo poſterius in genere cauſæ materialis & diſpoſitiuæ, vel id non nouerat, Si hoc poſtre-

Digitized by Google

mum dixeris, ſuſpecta omnino, imò & damnanda Theologia, quam tantus Apoſtolus ignorauit, ſi primum admiſeris; ergo D. Paulus reus eſt detentæ atque oppreſſæ veritatis, & prætuaricationis in cauſa Dei; hanc enim cum tutari potuiſſet, dicendo auxilium efficax gratiæ eſſe prius & poſterius conſenſu in diuerſo genere cauſæ, paſſus eſt ſuo ſilentio in graue ſcandalum incurrere.

36 Addo genus iſtud prioritatis & poſterioritatis non eſſe ad rem, ſiue enim admittas auxilium efficax gratiæ eſſe prius & poſterius conſenſu in diuerſo genere cauſæ, ſiue id neges: ſemper tamen verum eſt iuxta Thomiſtas, Deum ſtatuiſſe ex pura miſericordia illud dare Tyrijs poſitâ certâ conditione; cum autem illud non dederit Iudæis, explanandum ſupereſt, quomodo iuſta ſit ac legitima in factâ hypotheſi obiurgatio Iudæorum præ Tyrijs; quod ſanè non oſtenditur dicendo, auxilium efficax eſſe prius & poſterius conſenſu in diuerſo genere cauſæ.

37 Ad extremum diſſimulandum non eſt, quod P. Vincentius S. Thomæ, & Cardinali de Lugo affingit art. 1. §. 4. in ſui huius figmenti confirmationem. Ait enim S. Thomam lib. 3. contra gentes. cap. 159. & 160. admittere duplex genus impedimentorum ad gratiam, quâ peccator ſe reddit indignum: Primum eſt peccatum præcedens denegationem gratiæ, quod vel eſt actuale vel originale.

le. Alterum eſt peccatum inconſyderationis, quod, inquit, eſt concomitans denegationem gratiæ, prius tamen in genere cauſæ materialis primo peccato, quod gratiæ denegatio præcedit in genere cauſę efficientis.

At nihil eiuſmodi reperitur in duplici illo capite S. Thomæ. In primo namque docet duntaxat *cum ſit in poteſtate liberi arbitrij impedire gratiæ receptionem peccando, vel non impedire abſtinendo à peccato, non immeritò in culpam imputari ei qui impedimentum præſtat gratiæ receptioni*; In altero vero capite probat S. Doctor, eum qui eſt in ſtatu peccati, non poſſe diu ſtare quin incidat in nouum peccatum; quia, inquit, non eſt poſſibile vt homo ſit perpetuò in ea vigilantiâ, vt per rationem diſcutiat, quidquid debet velle vel agere: Ex quo fit vt facile voluntas eligat peccatum, ad quod ratione præcedentis peccati multum propendet.

At quis non videt nihil in hac doctrina contineri, quo duplex illud genus peccati ſtabiliatur, quorum vnum ſit prius & poſterius gratiæ denegatione in diuerſo genere cauſæ: quocirca ſi profundiſſimam hanc doctrinam ex doctore Angelico hauſit Ioannes à S. Thoma, aliunde certè haurire debuit, quam è duobus hiſce capitibus libri tertij contra gentes.

Quod attinet ad De Lugo, imponit illi P. Vincentius dum ait eum docere diſp. 8. de 38

Digitized by Google

pœnit. ſect. 7. admiſſa illa prioritate & poſterioritate in diuerſo genere cauſæ, Thomiſtas qui eò confugerint, tutos eſſe ab argumentis contra præmotionem phyſicam ex libertate læsâ petitis.

Etenim eo loci De Lugo verbis diſertiſſimis ſtatuit, *argumentum deſumptum ex libertate eſſe abſolutè efficax ad probandum, actum contritionis non poſſe procedere ab habitu gratiæ ad quem diſponit, & conſenſum non poſſe diſponere ad prædeterminationem à qua fit.* Addit autem quod fortè P. Vincentio errandi occaſio fuit, eos qui concedunt dari mutuam prioritatem in diuerſo genere cauſæ, non poſſe vti hoc argumento ad duas illas ſententias impugnandas; quod veriſſimum eſt, ſic enim pugnarent contra ſeipſos. Sed qui mutuam illam prioritatem reſpuunt vti fictitiam, hi certè juxtà De Lugo, & præmotionem phyſicam, & mutuam illam prioritatem efficaciter impugnant argumento ex libertate læſa petito; ideoque ab eo tuti non ſunt Thomiſtæ qui ad huiuſmodi aſylum confugiunt, vbi nulla ſecuritas.

Digitized by Google

Caput Quartum.

Soluuntur obiectiones duæ ſeu confutantur Reſponſiones ad argumentum ex verbis Chriſti Math. 11. petitum.

MOleſtum eſſet P. Vincentio, & cauſâ ſe laborare crederet vel cadere pertimeſceret, ſi poſt difficillimum argumentum, quod eius aduerſarij in Scientiæ Mediæ præſidium ex ſacra ſcriptura depromunt, aliud ipſe pro ſua ſententia non poſſet opponere, quod ex eadem ſcriptura ſaltē extraheretur, ſi per ſe ſatis non appareret, quocircâ locum illum Apoſtoli, *quis te diſcernit, quid habes quod non accepiſti?* Adducit in medium ſect. 2. Art. 1. §. 5. atque ex eo ſic contra Scientiam Mediam argumentatur.

Admiſſâ Scientiâ Mediâ ille qui benè operatur, & gratiæ diuinæ conſentit ſeipſum diſcernit ſeu diſtinguit ab eo qui non conſentit & peccat; atque ita poteſt in ſeipſo, non in Domino gloriari: Siquidem quod ille benè operetur, & gratiæ conſentiat, non alter, non poteſt peti tanquam à primo principio; ab eo quod eſt vtrique commune, cuiuſmodi eſt auxilium ſuffi- 39

ciens : ergo cum iuxtà Scientiæ Mediæ defenſores, auxilium gratiæ cui vnus conſentit, ſit commune illi qui non conſentit, non poteſt in illud tanquam in primum principium refundi bonus conſenſus & operatio : ergo ille ipſe qui conſentit & benè operatur, ſeipſum diſcernit ab eo qui non conſentit & peccat; hoc autem pugnat contra illud Apoſtoli, *quis te diſcernit?* Nam iuxtà Aug. lib. de prædeſt.ſan. c. 5. *nihil huic ſenſui tam contrarium eſt, quam de ſuis meritis quemquam gloriari, tanquam ſibi ea fecerit, non gratia Dei.* Sed gratia quæ bonos diſcernit à malis, non quę communis eſt bonis & malis.

40 Ad hoc argumentum, quod P. Vincentius ait, eſſe quartam & vltimam reſponſionem argumenti petiti ex verbis Chriſti Math. 11.

Reſpondeo 1. non ſolui difficultatem propoſitam ſed augeri. Etenim ſi Authorem iſtum audimus, ex illo Apoſtoli loco deducitur neceſſitas auxilij phyſicè prædeterminantis ad ſingulos actus bonos; alioquin homo benè operando ſeipſum diſcerneret ab eo qui malè operatur. At ſi tale auxilium eſt neceſſariò prærequiſitum ad ſingulos actus bonos, non erit legitima obiurgatio Iudæorum præ Tyriis, quod non egerint pœnitentiam, quam egiſſent Tyrij; Iudæi quippè non habuerunt auxilium gratiæ neceſſario prærequiſitum ad pœnitentiam, quod

habuiſſent Tyrij, ſi factæ apud ipſos fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt apud Iudæos.

Reſpondeo 2. eadem argumentatione prorſus euerti tertiam ſolutionem, quam ex 41
Thomiſtico dogmate de mutua prioritate in diuerſo genere cauſæ P. Vincentius deprompſit. Siquidem iuxtà hanc ſolutionem conſenſus bonus præcedit receptionem auxilij prædeterminantis per modum diſpoſitionis, quamuis ab illo viciſſim præcedatur, per modum cauſæ efficientis. Ergo poteſt homo in ſeipſo gloriari, quod ſeipſum diſponat ad gratiam efficacem recipiendam, & habeat à ſeipſo talem diſpoſitionem, cum eam habeat ante receptionem auxilij efficacis. At iuxtà S. Aug. nihil menti Apoſtoli *magis, contrarium eſt, quam de ſuis meritis quemquam gloriari, tanquam ipſe ſibi ea fecerit, non gratia Dei.* Pugnat igitur tertia ſolutio à P. Vincentio propoſita cum Apoſtoli verbis, quis te diſcernit.

Prætereà menti Apoſtoli contradicit, quiſquis aſſerit diſcretionem eius qui malè 42
operatur, ab eo qui benè operatur, non minus eſſe à Deo, quam ſit diſcretio benè operanti, à malè operante. At hoc ſequitur ex tertia ſolutione P. Vincentij. Quod ſic oſtenditur.

Idcirco Deus diſcernit eum qui benè operatur ab eo qui malè operatur iuxta P. Vincentium, quia quamuis bonus homi-

Digitized by Google

nis benè operantis conſenſus præcedat auxilium prædeterminans per modum diſpoſitionis: illud tamen auxilium præcedit bonum conſenſum per modum cauſæ efficientis: Atqui iuxtà Eumdem, quamuis malus hominis malè operantis conſenſus pręcedat denegationem talis auxilij per modum diſpoſitionis: hęc tamen auxilij denegatio pręcedit malum conſenſum per modum cauſæ efficientis; ergo Deus diſcernit hominem malè operantem ab eo qui benè operatur, perinde ac diſcernit bonum à malo. Videat igitur, quam parum ſibi conſtet Author iſte qui vt ita loquar, vnâ manu euertit, quod alterâ ædificat.

43 Reſpondeo 3. illum Apoſtoli locum non tam pugnare contra Scientiam Mediam, quam illam adſtruere, ſaltem reſpectu malorum operum, quæ ſunt futura ſub conditione. Etenim locus ille Apoſtoli probat dumtaxàt bona hominum opera eſſe Dei dona, ipſique tanquàm primo Authori ac principio referenda; non probat autem mala hominum opera eſſe pariter Dei; hoc enim aſſerere impium eſt. Ergo homo qui malè operatur, ſeipſum per malum opus diſcernit ab homine iuſto; ergo Deus videt illud malum opus futurum ſub conditione, independenter à decreto prædeterminante? Nam ſi tale decretum admitteretur reſpectu mali operis, diſcretio hominis mali à bono in

Deum ipſum refunderetur, ſicut diſcretio hominis boni à malo; datur igitur Scientia Media in Deo reſpectu malorum operum; ex quo facilis erit progreſſio ad Scientiam Mediam reſpectu bonorum.

Dices, ergo ſaltem non debet admitti Scientia Media reſpectu boni operis conditionatè futuri, cum hoc præſupponat decretum phyſicè prædeterminans, ne homo benè operans ſeipſum diſcernat à male operante. 44

Reſpondeo nec illud quoque probari ex illo Apoſtoli loco; ex eo enim tantùm euincitur, conſenſum bonum quem homo exhibet gratiæ, eſſe ipſi gratiæ atque adeo ipſi Deo, tanquam primo principio tribuendum; ad hoc autem non eſt neceſſarium auxilium phyſicè prædeterminans, ſed ſufficit vt Deus dèt homini auxilium gratiæ, per quod illius voluntatem ad bonum conſenſum excitat, & cum quo præuidet ipſum conſenſurum ſi detur. Quando enim Deus dat homini auxilium, cum quo præuidet illum benè operaturum, & ita dat vt poſſet non dare, non minus Deo acceptum referri debet opus bonum, quam ſi auxilium illud eſſet phyſicè prædeterminans: cum Deus non minus conferat beneficium huic homini, dùm illi tribuit auxilium cum quo præuidit ipſum benè operaturum, ſi daretur, quam ſi eidem tribueret auxilium phyſicè

prædeterminans; quandoquidem in ordine ad conſenſum, tantum valet vnum quantum aliud, cum hoc tamen diſcrimine, quod cum auxilio prioris generis, ſtet prorſus illæſa hominis conſentientis libertas, quæ cum auxilio phyſicè prædeterminante conciliari vix poteſt.

45 Dices iterum, ratio diſcretionis per quam bene operans à male operāte diſcernitur, non poteſt eſſe vt à primo principio ab eo quod eſt commune vtrique, hoc eſt, homini bene & malè operanti: at auxilium gratiæ quod ab aſſertoribus Scientiæ Mediæ admittitur, eſt commune homini conſentienti & non conſentienti; ergo bonus conſenſus, ſeu bona operatio non eſt ab eo vt à primo principio.

Reſpondeo 1. hoc argumento probari in ſententiâ Aſſertorum Scientiæ Mediæ hominem qui bene operatur, non ſe diſcernere ab eo qui malè operatur per ſuum liberum arbitrium: quia vt contendit hic Author, cauſa diſcretionis vnius ab alio non poteſt refundi in id quod eſt vtrique commune: atqui liberum arbitrium eſt commune homini bene & malè operanti; ergo ratio diſcretionis vniûs ab alio non poteſt peti à libero arbitrio; & tamen contendit P. Vincentius id in liberum arbitrium refundi debere, illo ipſo argumento quo contrarium euincitur.

46 Reſpondeo 2. diſcretionem vnius ab alio, hominis

hominis benè operãtis ab eo qui malè operatur, duplicem eſſe, cauſalẽ nimirum ſeu radicalem, & formalem. Diſcretio formalis vnius ab alio, eſt res illa per quam vnus conſtituitur formaliter ab alio diuerſus; ita diſcretio formalis hominis benè operãtis ab homine malè operãte, eſt ipſa bona operatio, per hanc enim bene operans à malè operante formaliter diſtinguitur, & diſcretio hoc modo ſumpta non poteſt eſſe aliquid commune vtrique: nam ſi forma per quam fit illa diſcretio, eſſet vtrique communis; per eam vnus non diſtingueretur formaliter ab alio, vt per ſe notum eſt.

Diſcretio cauſalis, ſeu radicalis, eſt cauſa ſeu principium illud à quo oritur ipſa diſcretio formalis: Ita liberum arbitrium, & dæmonis tentatio, & concupiſcentia per quam homo impellitur ad malum opus, ſunt diſcretio cauſalis ſeu radicalis; per quam homo malè operans diſcernitur ab eo qui bene operatur: Quia mala operatio per quam homo malè operans formaliter diſcernitur ab eo qui bene operatur, ab illis principijs oritur. Hæc autem diſcretio poteſt eſſe per aliquid commune homini bono & malo, vt patet in exemplo propoſito; nam liberum arbitrium, Dæmonis tentatio, & motus concupiſcentiæ indeliberatus, ſunt res homini malè operanti & benè operanti communes; & tamen vt ipſi fatentur Thomiſtæ, in eas tanquam in primariam radicem refunditur diſcretio for-

Digitized by Google

malis hominis bene operãtis à malè operante.

47 Hinc colligo diſcretionem radicalem, ſeu cauſam a qua oritur diſcretio formalis, per quam homo bene operans â malè operante diſcernitur, eſſe & liberum hominis arbitrium & diuinæ gratiæ auxilium; cum certum ſit diſcretionem formalem oriri ab vtroque: cum hoc tamen diſcrimine, quod liberum arbitrium ſit cauſa minus præcipua diſcretionis formalis: auxilium autem diuinæ gratiæ ſit primum & principale principium diſcretionis formalis, ſeu bonæ operationis. Quando enim duæ cauſæ concurrunt ad effectum aliquem ſupernaturalem, illa quæ ſupernaturalis eſt & eleuat alteram ad illum effectum producendum, dicitur prima & principalis cauſa illius effectus, ideoque ipſi præcipuè tribuendus eſt.

Quoniam verò Deus huiuſmodi gratiæ auxilium homini liberaliter largitur, & quidem ex præuiſione boni operis ab eo ponendi, ſi tali auxilio præueniatur; hinc eſt cur bonum opus quod ab homine fit, in Deum potius quam in ipſum hominem refundi debeat tanquam ipſius donum; atque ita qui gloriatur, non in ſeipſo ſed in Domino glorietur; præſertim cum Deus ipſi auxilium gratiæ dederit, cum quo præuidit bene operaturum potius quam aliud quod dare poterat, & cum quo bene operatus non eſſet. Quod ſanè beneficium eſt magnum ac planè ſingu-

lare de quo plura dixi diſp. 5. de Scientia Dei c. 2. à num. 45.

Præcedenti argumento alterum adiungit P. Vincentius quod petit ex triplici differentia, quæ à Theologis conſtituitur inter actus naturales & ſupernaturales. Prima eſt, inquit, quod facultas naturalis ſe habeat ad actus ſupernaturales vt potentia remota & obedientialis; cum ad actus naturales habeat vim proximam. Altera quæ ex priori deducitur, eſt Beatos diſparis intelligentiæ naturalis, quales ſunt Angelus & homo, æquali gloriæ lumine donatos parem omnino elicere viſionem. Tertia vſum donorum gratiæ eſſe effectum prædeſtinationis, hic eſt, inquit, communis Theologorum conſenſus, à quo receſſit vnus Molina, cuius opinio ſingularis eſt, ac proinde minus tuta. 48

Atenim, vt fatear ingenuè quod ſentio, non ſatis aſſequor, ecquid tandem Author iſte concludat ex triplici illa differentia inter actus ſupernaturales & naturales; An fortè exiſtimat admiſſo triplici illo diſcrimine obiurgationem Iudæorum præ Tyrijs, de qua nunc agitur; eſſe legitimam aut Deum non videre futura ſub conditione niſi in decreto ex parte obiecti conditionato? Concludendum quidem hoc fuerat; ſed cum vis huius illationis adeo obſcura ſit vt à nemine percipiatur, conſecutionem illam negare pergimus, donec ipſe P. Vincentius aliquantulum 49

Digitized by Google

lucis afferat quo fiat manifeſtior.

Verum, vt video hac etiam in re, abſtinere calamum noluit à vellicando Molina, contra quem *ſcripſit amaritudines multas, ſed abſit vt tam rationabiliter quam terribiliter*, ſicut dicebat Bernardus ep. 252. Circa triplex illud diſcrimen actuum ſupernaturalium à naturalibus, nihil planè docuit Molina, in quo à communi Theologorum conſenſu receſſerit.

50 Ac primo quidem concedit vltro facultatem naturalem creatam intellectus & voluntatis, eſſe potentiam obedientialem reſpectu actus ſupernaturalis, ideoque principio egere ſupernaturali, vt eleuetur ad producendum actum ſupernaturalem.

Deindè ſi nomine potentiæ remotæ intelligitur potentia incompleta, quæ indiget comprincipio ordinis ſuperioris, cum quo per modum vnius cauſæ totalis effectum aliquem immediatè producat; fatetur quoque Molina cum vniuerſa Theologorum Schola, facultatem naturalem intellectus & voluntatis, eſſe potentiam remotam reſpectu actuum ſupernaturalium.

Cæterum ſi nomine potentiæ remotæ intelligitur potentia quæ per ſeipſam non producit effectum, ſed per potentiam ipſi ſuperadditam, quæ vel ab ipſa emanat, vel ipſi à Deo infunditur, quo ſenſu ipſa animæ ſubſtantia dicitur ab aliquibus potentia remota intellectionis & volitionis: quia per ſeipſam

Digitized by Google

hos actus immediatè non elicit. Sed per facultates ipſi ſuperadditas, atque ab ipſa emanantes, videlicet per intellectum & voluntatem.

Atque hoc ſanè ſenſu contendit Molina, facultatem naturalem intellectus & voluntatis hominis, non eſſe potentiam remotam actuum ſupernaturalium. Quamuis enim egeat comprincipio ſupernaturali, vt illos producat: eos tamen facultas illa cum tali comprincipio per ſeipſam immediatè producit, & in hoc Molina conuenit cum Theologis omnibus Catholicis, qui voluntati creatæ influxum immediatum in actus ſupernaturales negare non poſſunt, cum ab ea liberè fieri fateantur.

Quod attinet ad alteram differentiam, quâ 51
dicuntur facultates naturales ſecundum perfectionem inæquales, æquali lumine gloriæ inſtructæ, æqualem omnino ſecundum perfectionem elicere viſionem Dei. Errat P. Vincentius ſi exiſtimat vnum Molinam diſcrimen illud non admittere, nam in hoc habet Scotiſtas, Gabrielem, Maiorem, & Caietanum Thomiſtam ſuæ ſententiæ aſtipulatores; hi quippè contendunt viſionem Dei eſſe inæqualem ſecundum perfectionem, etiam ratione perfectionis inæqualis quæ reperitur in intellectu Beatorum; quare turbam illam magnam doctorum pariter ſentientium videre debebat & dinumerare poterat P.

Vincentius & opinionem tam communem non dixiſſet ſingularem.

52 Tertia differentia explanatione indiget, vt clariùs intelligatur iurene an iniuria Molinam hic Author aggreſſus ſit.

In primis igitur ſi nomine prædeſtinationis intelligitur decretum efficax Dei quo ſtatuit ab æterno aliquem ad gloriam perducere non ſolum Molina, ſed & reliqui Theologi fateri debent, actus omnes ſupernaturales non eſſe effectus prædeſtinationis hoc ſenſu vſurpatæ; nam fideles reprobi in hac vita multos eliciunt actus ſupernaturales, quando ſunt in ſtatu gratiæ; hi autem actus, non ſunt effectus prædeſtinationis, cum nulla ſit reſpectu illorum.

Sin autem nomine prædeſtinationis intelligitur. Decretum quo Deus efficaciter prædeterminet voluntatem creatam ad effectum aliquem producendum, negat quidem Molina quemlibet actum ſupernaturalem, eſſe effectum prædeſtinationis; At in hoc ſolus non eſt, cum ei hac in re aſſentiantur reliqui Theologi, exceptis Thomiſtis recentioribus.

Deniquè ſi nomine prædeſtinationis accipitur præparatio gratiæ efficacis ſeu voluntas, qua Deus ſtatuit alicui tribuere auxilium gratiæ, cum quo vidit eum, certum actum ſupernaturalem eliciturum, ſi detur; docet Molina cum cæteris Scientiæ Mediæ propugnatoribus actum omnem ſupernaturalem

eſſe hoc ſenſu effectum prædeſtiinationis.

Quapropter concludendum eſt, belli fortunam, magnis illis P. Vincentij laboribus parum aſpirare, nullas eius vices varias experitur, tantum vincitur, ſi laceſſit, illidere fragili credit; offendit ſolidum, contra muros antiquiſſimæ veritatis, vt verbis Auguſtini loquar, nouas conſtruit machinas; illi percutiuntur, ſed non dificiuntur, iſtæ admouentur & deſtruuntur. Nimirum hoc habet doctrina ſolida, telis aduerſariorum peti poteſt, transfigi non poteſt, neque enim vt Nepotiano ſcribebat Hieronimus ex veteri prouerbio, ſagitta in lapidem vmquam figitur, reſiliens percutit dirigentem.

CAPVT QVINTVM.

Expenditur an Scientia Media S. Auguſtini & S. Thomæ Principiis ſit conſentanea.

DVplicem ſub initium Articuli ſecundi ſecundæ ſectionis quæſtionem diſtinguit P. Vincentius. Prima eſt an iuxta S. Auguſtini & S. Thomæ principia detur in Deo Scientia Media, altera eſt, an Deus ſcientiæ huius directione vtatur ad ſalutem hominibus infallibiliter procurandam, vtrumque reſpuit hic Author, & ſtatuit 1. *Scientia Me-*

Digitized by Google

dia, non vſum ſolum ſed rationem etiam ignorari & improbari his ſanctiſſimis Doctoribus, quod peſſimè illorum principijs conueniat, & quibus nititur non ſint conſentanea illorum ſapientiæ.

53 Neſcio quid cogitabat P. Vincentius dum ſcriberet, Scientiam Mediam & eius vſum *ignorari ab his ſanctiſſimis doctoribus*; non attendebat fortè ad ea quæ ſcripſit eiuſdem ſectionis art. 5. §. 1. malè nimirum audiſſe P. Molinam, quod dixerit, *Scientiam Mediam ignotam fuiſſe Auguſtino*; nam ſi propterea in S. Auguſtinum & Eccleſiam contumelioſus fuit Molina, quod Scientiam Mediam ignotam fuiſſe Auguſtino aſſerere non ſit veritus; qua tandem ratione ſimili culpa ſeipſum liberabit P. Vincentius qui eandem inſcitiam & Auguſtino & S. Thomæ affingere non dubitat? profectò non videtur publicam illam, quam Molinæ paratam dixit ob illud crimen, Eccleſiæ ſententiam alia ratione poſſe à ſe auertere, niſi (quod à Molinæ defenſoribus factum eſſe falſiſſimè pronunciat) è ſecunda ſui operis editione illud eradat, quod legitur in prima, ſcilicet S. Auguſtinum & S. Thomam *Scientiam Mediam ignoraſſe*.

Accedit quod non ſolum cum S. Auguſtino & S. Thoma hac in re, ſed ne ſecum quidem ſatis conuenit hic Author dum eodem in loco aſſerit *Scientiam Mediam ignorari, ab*

ab his ſanctiſſimis Doctoribus & ab iiſdem
improbari. Etenim ſi eam improbant hi
ſancti Doctores, illis profectò ignota eſſe
non potuit, niſi fortè (quod abſit) exiſtimet,
tantos viros ex eorum eſſe numero qui im-
probant *quod ignorant*, atque causâ non intel-
lectâ per ſummam iniuſtitiam reos abſol-
uunt, & innocentes condemnant quaſi ſce-
leris compertos.

Sed de ficta illa S. Auguſtini & S Thomæ
ignoratione iam ſatis: nunc iuuat expende-
re, quibus tandem argumentis enitatur pro-
bare P. Vincentius, Scientiæ Mediæ cum il-
lorum Doctorum principiis peſſimè conue-
nire.

Nihil, inquit, apud S. Auguſtinum & S. 54
Thomam certius his duobus principiis:
Primum eſt *Deum creata omnia noſſe in eſ-
ſentia, vt in cauſa & medio cognito, neque à
rebus ſcientiam haurire*. Alterum eſt, *ideo
res eſſe à priori, & vt à cauſa, quia ſciuntur
à Deo, non autem ſciri à Deo quia ſunt*; hinc
tertium deducitur, ſcilicet his ſanctis Do-
ctoribus ignota eſſe principia, quibus Scien-
tia Media fulcitur à ſuis Authoribus: neque
enim iis vmquam venit in mentem ſuper-
comprehenſio Molinæ; lex autem contra-
dictoriarum non valet ex D. Thoma: cum
de futuris liberis agitur, atqui hæc tria prin-
cipia Scientiæ Mediæ penitus aduerſantur;
ergo Scientia Media S. Auguſtini & S. Tho-

mæ principiis nullo modo eſt conſentanea.

55 Verum figmenta ſunt iſta, quę nihil minus redolent quam S. Auguſtini & S. Thomę doctrinam. Nam quod attinet ad primum principium, aliquid continet veri, & aliquid falſi, verum enim eſt Deum ſuę ſcientię perfectionem à rebus creatis non haurire, & diuinam eſſentiam eſſe ipſi Deo rationem cognoſcendi omnem aliam veritatem, vt priori parte huius reſponſionis oſtendi. Eſt autem falſum & contra expreſſam S. Auguſtini & S. Thomę mentem, Deum res contingentes futuras in ſeipſo tanquam in cauſa cognoſcere.

Etenim Deus cauſa malorum actuum non eſt, & in tali negotio, vt ait S. Proſper, nihil diuinę voluntatis interuenit; ergo non poteſt Deus videre in ſeipſo tanquam in cauſa mala opera, quę ab hominibus variis temporibus fiunt, eſſe futura.

Deindè iuxtà doctorem Angelicum, futurum contingens non habet eſſe determinatum in ſuis cauſis; ideoque non poteſt, inquit, in ipſis certò cognoſci, ſed certò cognoſcitur prout eſt in ſeipſo, hoc eſt, prout actu exiſtit certo tempore; quod reſpectu noſtri futurum eſt, & dicitur pręſens à D. Thoma, ſi comparatur cum ęternitate diuina, quę vna & indiuiſibilis omni tempori ſucceſſiuè fluenti coëxiſtit! Ergo Deus non videt futurum contingens in ſeipſo tanquam

Digitized by Google

in cauſa per decretum determinata.

Et ſanè quando S. Thomas ex profeſſo diſputabat de modo quo Deus futura contingentia cognoſcit, vel cenſebat Deum illa certò cognoſcere in ſeipſo tanquam in cauſa per decretum determinata, vel id non nouerat, aut potius non admittebat, ſi nouerat, & modum illum cognoſcendi futura verum eſſe exiſtimabat; vt quid igitur illius non meminit? Nunquid reus detentę & appreſſę veritatis cenſeretur & pręuaricator in cauſa Dei, ſi iis in locis in quibus data opera diſputat de modo quo Deus futura contingentia cognoſcit, ad illorum pręſentiam in ęternitatę recurreret, & modum ea cognoſcendi in ſeipſo tanquam in cauſa, ſilentio ſemper & conſtanter prætermitteret, quamuis eum verum eſſe cenſeret. Profectò ſilentium illud D. Thomæ, iis locis in quibus quæſtionem hanc ex profeſſo tractat, S. Doctorem modum illum cognoſcendi futura in Deo non admittere, non minus euincit, quam ſi eum diſertis verbis reiiceret.

Quod ſpectat ad principium alterum, quo res creatæ ideo dicuntur eſſe à priori & tanquam à cauſa, quia ſciuntur à Deo, non autem ideo ſciri à Deo quia ſunt, pluribus oſtendi diſput. 1. de Scientia Dei cap. 7. & S. Auguſtinum & S. Thomam dum dicunt res non ideo ſciri à Deo quia ſunt, ſed ideo eſſe quia ſciuntur à Deo, non recedere ab 56

aliorum Patrum ſententia qui ſtatuunt, res non ideo eſſe quia videntur à Deo, ſed ideo ſciri aut videri à Deo quia ſunt.

Ratio eſt, quia quando S. Auguſtinus & S. Thomas ſtatuunt res ideo eſſe quia ſciuntur à Deo, loquuntur de ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quæ adiuncta voluntate cauſat res quæ fiunt; non autem de ſcientia viſionis, quæ noſtro concipiendi modo ſupponit exiſtentes res quas intuetur. Quando autem Patres alij docent, res ideo ſciri aut videri à Deo, quia ſunt, loquuntur de ſcientia viſionis, quam præſcientiam vocant, hæc enim ſub illa ratione non tribuit exiſtentiam rebus quas intuetur, ſed illam præſupponit vt ad illam terminetur. Atque ita optimè conciliantur SS. Patres; quod factu difficile foret, ſi omnes, dum modis loquendi vtuntur oppoſitis, de Scientia Dei ſub eadem ratione conſyderata, ſcilicet prout eſt ſcientia viſionis, loquerentur.

57 Ac profectò pugnaret ſecum Auguſt. ſi dum ait, ideo res eſſe quia ſciuntur à Deo, de ſcientia viſionis ageret: is enim contra Manichæos diſputans diſertè docet, non ideo peccare hominem quia Deus illum peccaturum præſciuit; quod tamen falſum foret, ſi res omnes creatæ ideo eſſent à priori & tanquam à causâ, quia per ſcientiam viſionis præſciuntur à Deo. Pugnaret pariter contra principia omnia quibus vtitur, vt probet ad-

uerſus Stoicos & alios, præſcientiam diuinam non imponere hominibus neceſſitatem efficiendi ea quæ futura præſciuntur: hæc enim ſupponunt præſcientiam Dei non eſſe cauſam rerum quas intuetur, ſed earum potius exiſtentiam præſupponere, vt ibidem tradidi pluribus.

De Tertio principio, quod ex duobus præcedentibus deduci putat P. Vincentius, ſilerem penitus, niſi ille ad faſtidium inculcare pergeret, quod à me ſæpius eſt confutatum;quapropter ne ſimiliter atque ille peccem, opportunâ & importunâ ſolutionis eiuſdem repetitione.

Reſpondeo 1. Scientiæ Mediæ veritatem, neque lege contradictoriarum niti, neque ſupercomprehenſione Molinæ; quamuis enim ſcientiæ huius propugnatores fateantur, ex duabus contradictoriis de futuro contingenti,vnam eſſe determinatè veram, & aliam determinatè falſam; inde tamen non probant dari Scientiam mediam in Deo, vt ſuperiùs oſtendi, quamuis inſuper ſupercomprehenſionem Molinæ non reſpuant, ſi eo quem mox ſubiiciam ſenſu accipitur: ad eam tamen confugere non conſilerunt, vt Scientiæ Mediæ veritatem à Thomiſtarum impugnationibus vindicent. Præcipuum cui Scientia media innititur fundamentum, ſub initium huius reſponſionis à me traditum eſt: hoc niſi falſum eſſe demonſtrent

Digitized by Google

Thomiſtæ, oleum operamque perdunt & arbor illa ſcientiæ, ab illis concuſſa nunquam nutabit, nedum euulſa procumbet, cum ad altam eius radicem, ſecurim nullam validam ponere poſſint.

59 Reſpondeo 2. legem propoſitionum contradictoriarum de futuro cõtingenti, non aliter admitti à defenſoribus Scientiæ Mediæ, quam quomodo admittitur à S. Thoma, ideoque ſi Author iſte, vult eiuſmodi legem eſſe vnum ex Scientiæ Mediæ principiis, illi optimè conuenit cum S. Thomæ doctrina. Atque vt id clariùs intelligatur.

Aduertendum eſt iuxta doctorem Angelicum, futurum contingens ſpectari poſſe dupliciter, vel prout eſt in ſuis cauſis, vel prout eſt in ſe, ſeu prout actu exiſtit pro certa temporis differentia. Si priori modo accipitur, non habet determinatam veritatem, cum cauſa in qua ſpectatur, ſit indifferens ad vtrumlibet; ideoque propoſitio de futuro contingenti, ſi ſpectetur quatenus conſiderat futurum contingens, vt futurum eſt futuritione in cauſa, non eſt determinatè vera, nec determinatè falſa; quia ſpectata præcisè cauſa in actu primo completa, neque eſt determinata ad ponendum illum effectum, neque ad omittendum. Atque hoc cum S. Thoma vltro concedunt, quotquot pugnant pro Scientia Media.

Sin autem futurum contingens ſpectatur

prout eſt in ſe, ſeu prout actu exiſtit pro certo tempore, vt ſit, inquit S. Thomas, habet veritatem determinatam, quomadmodum res omnes quæ actu exiſtunt. Et quoniam diuinus, inquit, intuitus fertur in contingens prout eſt in ſe: idcirco datur in Deo cognitio determinatè vera, quæ verſatur circa futurum contingens. Atque hoc ſenſu veriſſimum eſt, è duabus contradictoriis de futuro contingenti vnam eſſe determinatè veram, alteram determinatè falſam, & in hoc Scientiæ Mediæ defenſores S. Thomæ Doctrinæ aſſentiuntur, nec aliud contendunt, niſi è duabus contradictoriis de futuro contingenti, vnam eſſe determinatè veram, alteram falſam, ſi futurum contingens ſpectetur prout eſt in ſe, aut enim exiſtit determinatè tali temporis inſtanti, aut determinatè non exiſtit.

Venio nunc ad ſupercomprehenſionem 60
Molinæ; quamuis enim eam ludibrio habeat P. Vincentius, non tamen vſque adeo aſpernabilis eſt, vt ſi eo quo debet ſenſu accipitur, propugnari non valeat; poteſt ſua illi laus aſſeri & à tam iniuſto contemptore vindicari; hoc autem ſic demonſtratur.

Si nomine ſupercomprehenſionis liberi arbitrij creati, nihil aliud Molina intelligit, niſi diuinam intellectionem quatenus præciſè perfecta eſt eſſentiæ diuinæ comprehenſio, habere quidquid perfectionis requiritur,

Digitized by Google

non ſolum vt res omnes poſſibiles earumque cauſas repræſentet, ſed etiam vt certò cognoſcat, quid factura ſit quælibet cauſa libera creata, in quocunque rerum ordine & in quibuſcunque circumſtantiis collocetur; profecto nihil docet quod defendi rectè non poſſit, quodque SS. Patrum principiis non ſit admodum conſentaneum.

Atqui nihil aliud Molina intelligit nomine ſupercomprehenſionis liberi arbitrij creati in eſſentiâ diuinâ, niſi diuinam intellectionem quatenus eſt perfecta Dei comprehenſio, eſſe talem, qualem iam deſcripſi; modo enim hoc concedatur Molinæ, nihil aliud efflagitat, cum hoc illi ſufficiat ad Scientiam Mediam adſtruendam. Ergo nomine ſupercomprehenſionis nihil à Molina intelligitur, quod ſancto Auguſtino & ſancto Thomæ ignotum ſit, aut eorum principiis repugnans, quodque iure tueri non liceat. Scio moueri poſſe litem de nomine, an ſcilicet hæc diuina cognitio rectè dicatur liberi arbitrij creati ſupercomprehenſio in Dei eſſentia; verum, nihil penitus obſtat quominus ita vocari queat, cum cognitio huiuſmodi multum emineat ſupra ſimplicem liberi arbitrij creati comprehenſionem. Etenim ex eo præcisè quod aliqua cognitio ſit perfectiſſima liberi arbitrij creati comprehenſio, non ſequitur per eam certò cognoſci, quid facturum ſit liberum arbitrium creatum

Digitized by Google

tum, ſi in his aut illis circumſtantijs ponatur, ſed è contrario quo perfectius liberum arbitrium creatum comprehenditur, eò manifeſtius cognoſcitur eius indifferentia ad vtrumlibet, ac proindè non poſſe certò inferri quid determinatè futurum ſit, ſi eius præciſè natura conſideretur.

Ergo ſi cognitio diuina, quatenus eſt eſſentiæ diuinæ comprehenſio, non ſolum perfectè comprehendit ipſum liberum arbitrium creatum, ſed etiam certiſſimè nouit, quid quodlibet facturum ſit, ſi in tali rerum ordine & in talibus circunſtantijs collocetur, dicendum eſt cognitionem diuinam eſſe liberi arbitrij creati ſuper comprehenſionem, cum longè ſuperet omnem illius comprehenſionem.

Atque hæc in defenſionem Molinæ, qui ſi ſi nihil aliud docuit quàm quod retuli, nihil profecto habet, quod ſibi metuat ab argumentationibus P. Vincentij & aliorum Thomiſtarum.

Digitized by Google

CAPVT SEXTVM.

S. Thomam Scientiæ Mediæ non aduerſari aduerſus P. Vincentium oſtenditur.

VAlde conqueritur de aduerſariis P. Vincentius, ſect. 2. art. 2. §. 2. quod cum Thomiſtis durius agant, quàm leges diſputandi patiantur, quando ab iis exigunt, vt probent Doctorem Angelicum verbis expreſſis docuiſſe, Deum futura contingentia, cûm abſoluta, tùm conditionata, certò cognoſcere in ſuo decreto efficaci, aut abſoluto, aut conditionato; quia, inquit, *alia ſuppetunt rationes ad id non minus efficaces*; Vides, Lector,
61 tacitâ illâ & vi veritatis extortâ P. Vincentij confeſſione, nullum apud S. Thomam extare locum expreſſum: vbi ſtatuat decretum Dei efficax eſſe medium in quo Deus certò cognoſcat contingentia ſeu abſolutè, ſeu conditionatè futura; at hoc S. Thomæ ſilentium magno argumento eſt, talem non fuiſſe illius mentem, qualem ei Thomiſtæ affingunt. Quis enim credat tantum Doctorem ſuæ doctrinæ, ſuorumque principiorum vſque adeo immemorem, vt dum ex profeſſo diſputat de modo, quo Deus futura contin-

Digitized by Google

gentia cognoſcit, nunquam meminerit modi cognoſcendi in decreto tanquam in medio, quem tamen ita neceſſarium cenſuit, vt eo ſublato, nulla præterea ſuppetat Deo certa atque infallibilis ratio cognoſcendi futura.

Hoc tamen credendum eſt, ſi fidem habemus P. Vincentio; habet enim ad hoc probandum rationes non minus efficaces, quam ſi S. Thomas id verbis expreſſis tradidiſſet. Magnum ſanè atque hactenus inauditum miraculum, quod cuipiam ſuppetant rationes, quæ S. Thomam illud docere, quod nuſquam docuit, non minus efficaciter probent, quam ſi id verbis expreſſis docuiſſet.

Si Author iſte diceret, S. Thomam hanc quidem concluſionem verbis expreſſis nullibi tradere, eam tamen ex eius principijs per manifeſtam conſecutionem deduci; condonandum eſſet, tametſi falſum. Sed cum magnâ confidentiâ pronunciet, ſibi rationes ſuppetere, quibus hanc quam S. Thomas nullibi tradit, eius eſſe doctrinam, non minus efficaciter probet, quam ſi eam verbis expreſſis tradidiſſet, ferendum ſane non eſt, in viro præſertim erudito.

Sed age veniamus ad rationem quam ſubiicit, quâue demonſtraturum ſe pollicetur, 62
S. Thomam cenſuiſſe, Deum futura contingentia in ſuo decreto tanquam in medio cognoſcere. S. Thomas, inquit, tollit obiectum Scientiæ Mediæ & omne aliud medium cog-

Digitized by Google

noſcendi conditionata decreto excepto. Ergo Scientia Media penitus improbatur à S. Thoma. Antecedens quoad primam partem ſupponit iam ante probatum art. 2. ſuperioris ſectionis, vbi oſtendit S. Thomam negare determinatam veritatem contradictorijs de futuro contingenti, quia futurum contingens non habet eſſe determinatum in ſuis cauſis liberis, propterea quod ſe habeant ad oppoſita.

Hoc ipſum confirmat loco Diui Thomæ 1. p. q. 16. art. 7. ad 3. vbi S. Doctor ait, *illud quod nunc eſt & futurum fuit antequam eſſet, quia in ſua cauſa erat vt fieret: vnde ſubiatâ cauſâ non eſſet futurum illud fieri. Sola autem prima cauſa eſt æterna, vnde ex hoc non ſequitur quod ea quæ ſunt, ſemper fuerit verum, ea eſſe futura, niſi quatenus in cauſa ſempiterna fuit, vt eſſent futura.* Idem probat ex quæſtione 1. de verit. art. 2. & in C. & ad 7. vbi S. Doctor docet rem eſſe futuram, eſſe denominationem extrinſecam petitam à præparatione, determinatione, & ordinatione cauſarum ad illius productionem.

Altera antecedentis eiuſdem pars, nempe non eſſe aliud medium cognoſcendi futura conditionata præter decretum, probata, inquit, fuit articulo primo ſectionis ſuperioris, vbi oſtendit Deum videre futura in ſuâ eſſentiâ per decretum determinata, tum etiam eiuſdem ſectionis art. vltimo, vbi probatum eſt Scientiam Viſionis eſſe cauſam

Digitized by Google

rerum quæ per ipſam videntur. Ita P. Vincentius, At quam debilis quam que inefficax ſit hæc ratio, cum ex illis quæ hactenus dixit, tum ex iis quæ mox ſubiicio, facile percipiet quiſquis vnicum S. Thomæ principium præ oculis habere voluerit.

Docet ergo S. Thomas futurum contingens ſpectari poſſe dupliciter, vel vt eſt in 63
ſuis cauſis, vel vt eſt in ſe ipſo extra ſuas cauſas. Si ſpectetur vt eſt in ſuis cauſis, negat S. Thomas illud eſſe determinatè futurum, cum eius cauſa ſe habeat ad oppoſita. Si ſpectetur, vt eſt actu poſitum extra ſuas cauſas pro certo tempore, tunc iuxta eundem S. Doctorem habet veritatem determinatam: & hoc modo circa illud fertur diuinus intuitus.

Ex hac S. Thomæ doctrina Colligo 1. P. 64
Vincentium non rectè probare S. doctorem tollere obiectum Scientiæ Mediæ, ex eo quod neget futuris contingentibus conuenire veritatem determinatam. Siquidem S. Thomas illis negat veritatem determinatam, quatenus ſunt in ſuis cauſis: quo modo conſiderata non ſunt obiectum Scientiæ Mediæ: hanc autem iiſdem concedit, prout ſunt actu in ſeipſis: & hoc ſenſu ſunt obiectum Scientiæ Mediæ, quod potius adſtruit S. Thomas quàm tollit.

Colligo 2. locum S. Thomæ depromptum ex 1. p. quæſt. 16. art. 7. ad 3. probare dumtaxat nihil eſſe futurum ab æterno futuri-

Digitized by Google

tione in cauſa, niſi quia in cauſa ſempiterna eſt, vt ſit futurum: ſed non probat decretum efficax requiri ex parte Dei, vt aliquid ſit futurum futuritione in ſe. Ac quoniam Scientia Media non reſpicit futurum contingens, prout eſt in ſuis cauſis, ſed prout eſt actu in ſeipſo ſi ponatur certa conditio, inde fit, vt non ſit opus decreto efficaci, ad ſtatuendum illius obiectum.

Colligo 3. quod refertur ad art. 12. quæſt. de veritate, probare tantum veritatem determinatam non conuenire futuris contingentibus, prout ſunt in ſuis cauſis, quod libenter admittimus: ſed non probat, ijs non conuenire veritatem prout ſunt actu in ſeipſis, quomodo ſunt obiectum Scientiæ Mediæ; ideoque nihil probat contra huiuſmodi Scientiam.

Colligo 4. P. Vincentium ex nullo capite probare, S. Thomam tollere omne medium cognoſcendi futura conditionata, excepto decreto; quod enim ait id ſe probaſſe art. 1. & vltimo ſuperioris ſectionis, hoc alia reſponſione non eget, niſi hac vna, quod videlicet, quæ ibi tradit, diſp. 1. de Scientia Dei. cap. 7. & 8. & cap. 1. 1. partis huius reſponſionis fuerint confutata.

65 Vidit, niſi fallor, Author iſte argumentationem quam ex ipſo retule, nutare omni ex parte; quocirca, vt ei roboris aliquid addat, Clementis 8. Summi Pontificis opem

implorat; Is enim, inquit, in libello à ſe collecto ex D. Aug. doctrinâ, docet gratiam habere ſuam efficaciam ab omnipotentia Dei, & dominio quod habet in hominum voluntates.

Hoc autem principium non ſolum à S. Aug. ſed etiam à S. Thoma traditur, 1. quidem in 1. ſent. diſt. 39. q. 1. ad 5. vbi ait, *licet eſſe & ſcire Dei ſint idem ſecundum rem, tamen ſcire ſequitur voluntatem, vt imperatum ab ipſa*, & art. 2. ad 1. *ipſum ſcire*, inquit, *in Deo eſt ſubiectum libertati voluntatis.*

Deinde quæſt. 6. de veritate, art. 3. ſtatuit S. Doctor prædeſtinationem, non ſolum eſſe certam certitudine præſcientiæ, ſed etiam certitudine ordinis & cauſalitatis. Denique quæſt. 12. de veritate, art. 10. diſtinguit S. Doctor triplex genus prophetiæ, comminationis, prædeſtinationis & præſcientiæ; nullum autem datur prophetiæ genus, quod in ordinatione cauſarum non nitatur, tanquam primo præſcientiæ fundamento; ea vero ordinatio cauſarum non eſt niſi à decreto Dei efficaci.

Sed hæc præcedentis rationis confirmatio, 66
ipſa ratione melior non eſt. Primum enim, valde incertum eſt, an libellus ille fuerit vmquam à Clemente 8. collectus: neque quidquam adducitur quod aſſerat opus illud huic Summo Pontifici vt vero Authori: deinde fabuloſa eſt & gratis conficta narratio con-

certationis P. Baſtidæ cum P. Lemos occaſione huius principij quod refertur ex illo libello: ideoque ſummus Pontifex Alex. VII. declarauit huiuſmodi narratiunculis, quæ de his quæ geſta ſunt in congregationibus de auxilijs, circumferuntur nullam planè fidem habendam eſſe. Denique vt ad rem ipſam propius veniamus.

67 Reſpondeo vitium hoc eſſe P. Vincentij, quod immodicus ſit in eo ſtabiliendo, quod nemo negat; in eo autem adſtruendo quod negatur ab aduerſarijs, parciſſimus. Luculentum rei huiuſce argumentum nobis ſubminiſtrat illud ipſum quod habemus præ manibus, nam argumentatio iſtius Authoris duabus propoſitionibus nititur. Prima eſt, gratiam habere ſuam efficaciam ab omnipotentia Dei iuxta S. Auguſtinum & S. Thomam. Altera eſt, principium illud Scientiæ Mediæ aduerſari.

Primam propoſitionem Scientiæ Mediæ aſſertores omnes ad vnum admittunt. Quis enim eſt inter illos, qui non vltro concedat, auxilium diuinæ gratiæ ab omnipotentia Dei accipere vim omnem & efficaciam, per quam hominum voluntates ad bene operandum inclinat, & cum iiſdem efficit bonum opus? & tamen in hoc probando totus eſt P. Vincentius, quare multum agendo, nihil agit, & ſic pugnat, quaſi aërem verberans; cum nemo repugnet, ſed quoad illud, manus dent omnes.

Alteram

Alteram propoſitionem negant Scientiæ Mediæ defenſores: & rectè quidem, cum manifeſtum ſit, ex eo quod gratia ſuam vim & efficaciam accipiat ab omnipotentia Dei, concludi legitimè non poſſe, Scientiam Mediam eſſe reiiciendam; & tamen tam malè conſulit laboranti ſuæ cauſæ hic Author, vt propoſitionem hanc tanquam certam ſupponat, & nuſquam probet, cùm in eius probationem, vires ſi quas habet, conferre omnes deberet.

Sed quoniam variis S. Thomæ teſtimoniis abutitur in ea ſtabilienda propoſitione quæ non negatur, niſi in ſenſu, quem in ea Thomiſtæ latere opinantur; appoſitè omnino faciam, ſi expendam ſingula, & genuinam Doctoris Angelici mentem declarabo.

Primùm igitur quod docet S. Thomas in 68
1. ſent. diſt. 39. qu. 1. ad 5. & Art. 2. ad 1. nullo modo fauet Thomiſtarum ſententiæ; Ibi namque S. Thomas probat ſcientiam viſionis, per quam Deus videt res, quæ abſolutè exiſtunt, aut futura ſunt, eſſe ſcientiam liberam, quia pendet à libera Dei voluntate: quatenus ſcilicet res creatæ, quas ſcientia viſionis repræſentat vt exiſtentes, aut futuras, nec ſunt actu, nec ſunt abſolutè futuræ, niſi eo volente, aut permittente. Quod totum ſæpius à nobis conceſſum eſt, & demonſtratum ſuperius, aduerſus Scien-

Digitized by Google

tiam Mediam nihil inde concludi poſſe.

69 Neque vero P. Vincentio fauet locus alter ex quæſt. 6. de veritate. Art. 3. depromptus, vbi ſanctus Doctor ait, prædeſtinationem eſſe certam non ſolum certitudine præſcientiæ, per quam videtur prædeſtinatus abſolutè ſaluandus, ſed etiam certitudine ordinis, ſeu cauſalitatis, quæ in eo conſiſtit, quòd voluntas prædeſtinans infallibiliter ſuum ſortiatur effectum.

Etenim qui inter Scientiæ Mediæ defenſores cenſent, prædeſtinationem hominum ad gloriam antecedere præuiſionem abſolutam meritorum, traditam eò loci à S. Thoma doctrinam admittunt, eamque rectè conciliant cum Scientia Media. Quamuis enim detur Scientia Media, per quam Deus nouit Petrum, Ex. c. bene operaturum & perſeueraturum in ſtatu iuſtitiæ vſque ad finem vitæ, ſi his & illis diuinæ gratiæ auxiliis præueniatur: hoc tamen adeo non impedit, vt voluntas per quam Deus prædeſtinat illum hominem ad gloriam, ſit certa certitudine ordinis & cauſalitatis, vt è contrario maximè proſit ad huiuſmodi certitudinem conciliandam cum libertate.

Siquidem huius ſcientiæ beneficio fit, vt Deus præparet homini quem prædeſtinat auxilia diuinæ gratiæ, cum quibus præuidet ipſum in ſtatu gratiæ perſeueraturum, ſi dentur; atque ita voluntas prædeſtinans vi

cuius hæc auxilia præparantur, obtinet infallibiliter effectum ſuum; aliunde verò libertas hominis prædeſtinati manet prorſus illæſa. Auxilia namque diuinæ gratiæ, quæ huic tribuuntur vi voluntatis prædeſtinantis, ſic habent effectum ſuum, vt tamen ſint ex ſe defectibilia, & talia, vt cum iis homo qui ea recipit poſſit abſolutè non perſeuerare. Et enim vt præclarè ſcripſit eruditus Proſper lib. 2. de vocat. gentium c.26. *Gratiam ita credimus atque experimur potentem, vt nullo modo arbitremur eſſe violentam* & Hieronimus aduerſus Pelagianos *perſpicuum ſemper hominem in meditullio poſitum, vt & de virtutum culmine ad vitia delabatur, & de vitiis aſcendat ad ſublimia, nunquam eſſe ſecurum; Sed ſemper metuere in ſecuritate naufragium* ſed de his infrà fuſius & fortius.

Monendus eſt interim P. Vincentius, modum quo S. Thomas vtitur loco relato vt hominis libertatem conciliet cum certitudine prædeſtinationis, eſſe valdè diuerſum ab eo quem Thomiſtæ propugnant: ibi namque ſupponit S. Doctor, adminicula ſeu auxilia gratiæ quæ homini prædeſtinato tribuuntur vi prædeſtinationis, eſſe ex ſe defectibilia, ſicut ſingula indiuidua vnius ſpeciei animantium, ſunt corruptioni obnoxia: atque ita libertas hominis prædeſtinati integra perſeuerat. Cum eo tamen ſtat iuxta eumdem S. Doctorem, prædeſtinationis

Digitized by Google

certitudo; quatenus ſcilicet vi illius, tanta auxiliorum copia homini prædeſtinato præparatur, vt vnius defectum altero ſupplente, fieri non poſſit, quin ille homo perſeueret in ſtatu iuſtitiæ vſque in finem vitæ.

Contra verò Thomiſtæ prædeſtinationis certitudinem in eo præcipuè collocant, quod vi illius dentur homini prædeſtinato auxilia gratiæ ex ſe indefectibilia; quod ſane non minus difficile eſt cum ibi tradita S. Thomæ doctrina conciliare, quam cum ipſa homiuis libertate.

Alterum præterea locum adducit idem Author ex q. 12. de verit. Art. 10. depromptum; vbi S. Doctor triplex prophetiæ genus diſtinguit, comminationis, præſcientiæ, & prædeſtinationis; ſed profectò feciſſet multò cautius, ſi locum illum ſilentio, præteriſiſet, cum nullis magis faueat quam propugnatoribus Scientiæ Mediæ.

7° Ibi namque verbis diſertiſſimis declarat Doctor Angelicus, prophetiam præſcientiæ quæ verſatur circa futura, quæ pendent ex libero creatæ voluntatis arbitrio, eſſe impreſſionem diuinæ ſcientiæ, quatenus præcognoſcit futura vt ſunt actu in ſeipſis, non autem vt ſunt in ſuis cauſis, quod conuenit prophetiæ comminationis.

Hoc autem pugnat apertiſſimè contra principium quo præcipuè fulcitur P. Vincentius, videlicet nullum dari genus prophetiæ, quod

ordinatione cauſarum non nitatur, tanquam primo præſcientiæ fundamento; nam ſi prophetia præſcientiæ, quæ prænuntiat futura libera, non reſpicit illa in ordinatione cauſarum ſed prout ſunt in ſeipſis: falſum eſt nullum dari genus prophetiæ, quod ordinatione cauſarum non nitatur. Atqui iuxta S. Doctorem prophetia præſcientiæ non reſpicit futura in ordinatione cauſarum, ſed prout ſunt actu in ſeipſis; ergo falſum eſt, & contra manifeſtam S. Thomæ doctrinam; nullum dari genus prophetiæ quod ordinatione cauſarum non nitatur.

Expendendus ſupereſt alter S. Thomæ lo- 71
cus qui ex 1. p. q. 19. Art. 8. & ex lib. 1. contra gentes c. 5. deſumitur, vbi S. Doctor concordiam libertatis noſtræ cum diuinis decretis repetit ab infinita efficacia diuinæ voluntatis, quæ non ſolum ſubſtantiam actus ſed etiam modum libertatis efficit in noſtris operationibus.

Verba S. Doctoris non refert hic Author, & merito quidem, cum illud euertant quod probare contendit. Sic igitur loquitur S. Thomas 1. p. q. 19. Art. 8. *cum voluntas diuina ſit efficaciſſima, non ſolum ſequitur quod fiant ea quæ fieri vult, ſed quod eo modo fiant quo ea Deus vult fieri vult autem Deus quædam fieri neceſſariò, quædam contingenter; & ideo quibuſdam rebus aptauit cauſas neceſſarias quæ deficere non poſſunt; quibuſdam autem*

aptauit cauſas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingenter eueniunt.

Atqui auxilium phyſicè prædeterminans, non eſt cauſa defectibilis, ex qua effectus contingenter eueniat, ſed eſt indefectibilis, ita vt impoſſibile ſit, vt effectus ad quem datur, ex eo non ſequatur. Ergo iuxta Doctorem Angelicum, quando Deus vult, vt effectus aliquis contingenter & liberè fiat à voluntate creata, non tribuit illi auxilium phyſicè prædeterminans.

Reliquum igitur eſt, vt ei tribuat auxilium gratiæ defectibile ex ſe, cum quo per Scientiam Mediam præuidit voluntatem creatam bene operaturam; ſic enim effectus liberè & contingenter eueniet, vt ab efficaciſſima fieri voluntate intendatur.

Hæc ſunt quæ P. Vincentius pro decreto phyſicè prædeterminante contra Scientiam Mediam ex S. Thoma prompſit. Ex his autem quæ ad hæc teſtimonia reſpondi, lector facilè intelliget, verène an falsò fuerit ab iſto Authore pronuntiatum, rationes Thomiſtis ſuppetere quibus non minus efficaciter probent, ſecundum Doctorem Angelicum Deum, videre futura conditionata in decreto efficaci: quam ſi id verbis expreſſis tradidiſſet.

Digitized by Google

Caput Septimum.

An Scientia Media pugnet cum S. Auguſtini doctrina.

QVæ de Scientia Media à Theologis diſputantur, poſſunt ad hæc tria capita reuocari. Primùm eſt, an detur in Deo ſcientia conditionata, hoc eſt, cognitio per quam Deus certo cognoſcat effectus liberos à voluntate creata ſub certa conditione ponendos. Alterum eſt, an huiuſmodi ſcientia conueniat Deo, independenter ab actuali decreto, in quo tanquam in medio futura ſub conditione cognoſcat; Tertium, an Deus huiuſmodi ſcientiam adhibeat ſuæ prouidentiæ, & hominum præſertim prædeſtinationi dirigendæ

Quando igitur P. Vincentius demonſtrare 72
inſtituit, Scientiam Mediam fuiſſe reprobatam ab Auguſtino; alterum è duobus oſtendat neceſſe eſt, aut S. Auguſtinum remouere à Deo ſcientiam futurorum ſub cõditione, aut eam admittere ſed independenter ab efficaci decreto Dei; nam tertium caput ſpectat potius vſum Scientiæ Mediæ, quam eiuſdem ſubſtantiam.

In hoc quidem promittendo præſtat ſe om-

nibus modis largum hic Author, ſect.2.Art. 5: §. 1. vbi fiducia prorſus incredibili pronuntiat, *eam eſſe locorum ex D. Auguſtiuo contra Scientiam Mediam copiam, vt ſi ſingula referre velit, libri ſint exſcribendi potius quam ſeligenda teſtimonia quibus, euincat ſtare à Thomiſtarum partibus ſanctiſſimum Doctorem.*

Eſt hoc ſane dictu facillimum, ſed cum ad rem ipſam venitur; hoc certè opus, hic labor eſt, & quidem tantus, vt qui Auguſtini teſtimoniorum contra Scientiam Mediam denſam ſpondebat nubem, ne vnum quidem afferat, quod vrgeat tantillum & huius ſcientiæ luminibus aliquantulum officere poſſit; neque nunc primum multa ac metuenda minatur, & inanes concidunt minæ; iam enim ſæpius altum & immedicabile vulnus infligere contendit, huic ſcientiæ huius hoſtis animoſus neque ſummam delibauit, hoc enim videri vult habere Dei qui teſte Chryſoſtomo, pericula intendit ne inferat, plagas minatur vt non percutiat, arcum tendit, quando tela vibrare non cogitat.

73 Ergo vt ſuam vtcumque liberet fidem P. Vincentius ab ipſius Molinæ teſtimonio exorditur. Ait enim ita certum eſſe S. Auguſtinum Scientiæ Mediæ aduerſari, vt ipſe Molina *pro ingenitâ quam propugnabat libertate non dubitauerit ſcribere* in ſua con-

cordia

cordia q. 23. Art. 4. & 5. diſput. 1. membro vltimo, *ignoratam aut certè improbatam Auguſtino Scientiam Mediam.*

Atque vt id confirmet, contendit Molinam non ideo fuiſſe ad Summi Pontificis tribunal à P P. Dominicanis raptum, & accuſatum, *quod Scientiam Mediam inuexerit, ſed quod ignotam dixerit Auguſtino, & ex ea inſcitia infeliciter pugnaſſe contra hæreticos, nec poſſe vinci niſi ex promptuario Scientiæ Mediæ noua arma expediantur, quorum vſum neſciuerit aut neglexerit Diuus Auguſtinus cum magna animarum pernicie. Hoc, inquit, male habuit Dominicanos, imo ipſos Molinæ defenſores qui verba in D. Auguſtinum & Eccleſiam contumelioſa eraſerunt ex poſterioribus Molinæ editionibus, atque hac fraterna emendatione publicam Eccleſiæ in ipſum ſententiam auerterunt.*

Non poterat P. Vincentius ſuam ex S. 74 Auguſtino contra Scientiam Mediam diſputationem infelicius ordiri: Nam hæc eius argumentatio tot ferè mendacia continet, quot verba; falſum enim eſt ſcripſiſſe Molinam *Scientiam Mediam fuiſſe Auguſtino ignotam.* Falſum pariter eſt, ab eodem dictum, S. Auguſtinum ex eiuſdem Scientiæ *inſcitia infeliciter pugnaſſe contra hæreticos.* Falſum itidem Doctorem hunc aſſeruiſſe, hæreticos *vinci non poſſe, niſi ex promptuario Scientiæ Mediæ arma expediantur, quorum vſum neſ-*

Digitized by Google

cinerit aut neglexerit D. Auguſtinus cum magna animarum pernicie. Falſum denique, & per calumniam dictum, Molinæ defenſores verba hæc in Auguſtinum contumelioſa *è poſterioribus Concordia editionibus eraſiſſe; vt hac fraterna emendatione publicam Eccleſia in ipſum ſententiam auerterent.*

Diceres nouum Tertullianum zelo flagrantiſſimo æſtuantē, inſectari vnum aliquē noſtrorum temporum Marcionem, *exertè & palam machærâ non ſtylo vſum, & ad materiam ſuam cadem* librorum *conficientem, contraria quæque ſententiæ ſuæ eradentem, competentia autem reſeruantem.* Ita queritur, queſtus audimus, ſed occaſionem querendi non videmus, quomodo enim aſſeuerare audet, acceſſiſſe manum amicam, quæ dolo ſin minus honeſto ſaltem miſericordi locum illum in Auguſtinum adeo iniurioſum, non ſolum obelo confoderit, ſed etiam ſcalpro penitus reciderit. Equidem ſi detur infinita illa licentia fingendi truncationes in libris, actum eſt de bonis Authoribus, & hoc protectus clypeo quiuis malæ cauſæ defenſor tutus erit.

75 Sanè cum ſuprema non ſit apud Theologos P. Vincentij authoritas, nec hactenus audierit Scholæ Pytagoras, vt aliquid continuò credendum ſit, quia *ipſe dixit*; debuerat omnino, vt fidem aliquam faceret dictis, grauia hæc flagitia, quorum reos ſtatuit ad-

Digitized by Google

uerſarios, aut viri cuiuſpiam nulli parti addicti teſtimonio roborare, aut leui aliqua coniecturâ, vel ratiunculâ confirmare, alioquin vt ius poſtulat, actore non probante reus abſoluetur.

Accuſat Molinam P. Vincentius, quod ſcripſerit, *Scientiam Mediam Auguſtino ignotam, & ex ea inſcitia infeliciter pugnaſſe contra hæreticos cum magna animarum pernicie.* Crimen ſanè horrendum, ingens, & planè dignum quod ab Eccleſia cenſurâ grauiſſimâ puniatur. Sed age, vt verbis, vtar Proſperi contra Ingratos, *Dic vnde probes*: Quibus indiciis, quo teſte;nam verba hæc in Auguſtinum contumelioſa, in eo quem refers loco non inueniuntur.

Ita eſt, inquit, non inueniuntur; ſed cur non extent, cauſam continuò ſubiicit, quia Molinæ defenſores,hæc *è poſterioribus Cõcordiæ editionibus eraſerunt, atque hâc fraternâ emendatione publicam Eccleſiæ in ipſum ſententiam auerterunt.* Sed iterum vrgeo, cum iſta quoque Defenſorum Molinæ fraus ſit grauiſſimum crimen, *Dic vnde probes?* Si calumniæ inſignis accuſari ipſe non vis.

Silet ad hoc Author iſte, perinde quaſi vna ſcribentis aut loquentis eius authoritas ſufficere nobis debeat, vt Molinam eiuſque defenſores reos eſſe credamus,ac de Theologis eruditiſſimis malè exiſtimemus. At non

Digitized by Google

tantùm, vt arbitror, ſibi tribuit, vt de ſuo teſtimonio velit hoc dici, quod à Caſſiano lib. 4. de incarnat. c. 6. de diuino dictum eſt. *Deus hoc dixit: verbum illius ſumma ratio eſt, remoueo argumenta, remoueo diſputationem, ſola mihi ad credulitatem ſufficit perſona dicentis.* Expectandum eſt igitur, vt Quartam partem ſuæ manuductionis ad Theologiam P. Vincentius in lucem emittat; vbi aut probet, quod fieri poſſe non cenſeo, aut certè reuocet, quod minus cautè protulit in Molinam eiuſque defenſores.

76 Ac ne fortè quiſpiam exiſtimet nobis argumenta deeſſe, quibus calumniam vſque adeo atrocem, cùm à Molina, tùm ab eius defenſoribus remoueamus, iuuat vnicum in medium adducere, quo res ita perſpicuè conficitur, vt nullum planè tergiuerſandi relinquat locum. Concedit P. Vincentius, quod inficiari non poteſt, verba quæ tribuit Molinæ in Auguſtinum contumelioſa, in poſterioribus Concordiæ editionibus non extare; Ea enim, inquit, illius defenſores eraſerunt, vt publicam in ipſum Eccleſiæ ſententiam auerterent eâ fraternâ emendatione.

Quod ſi hæc eadem verba in prima etiam Molinæ editione perſpicax nemo & Lynceus videre aut legere poſſit; *tum verò manifeſta fides*, aut potius detecta, patebit mala mens Molinæ aduerſariorum, qui per ſummam

Digitized by Google

fraudem fallaciamque, labe tam turpi nomen eius aſperſerunt, & crimen illud calumnioſum Theologo innocenti obiecerunt, amaris inuidiæ ſtimulis agitati, quò magnum in eum odium concitarent apud illos, qui ſtudioſi Auguſtini defenſores erant, aut videri volebant.

Atqui prima editio Concordiæ quæ Olyſippone facta eſt apud Antonium Riberium anno 1588. approbante Fratre Bartholomæo Ferreira Ordinis Prædicatorum, librorum Cenſore, quamque dum hæc ſcribo, præ manibus habeo, nihil eorum continet quæ referuntur à P. Vincentio. Ac ne cui fortè veniat in mentem dubitare, reſne ita ſit vt eſſe teſtor, lectorem monitum velim, primæ huius editionis exemplar ad nos è Luſitaniâ miſſum, in huius noſtri Collegij Toloſani Bibliothecâ ſeruari, hoc ſi conſulere voluerit continuo deprehendet, illo in loco quem P. Vincentius deſignat, nihil prorſus eorum ſcripſiſſe Molinam, quæ huic affingere non eſt veritus.

Quocirca argumentum illud quod ex ipſius Molinæ teſtimonio contra Scientiam Mediam deſumitur, nullius roboris eſſe poteſt, cum non alio fundamento nitatur, niſi falſâ ſuppoſitione, quod Molina ſcribere non dubitauerit, Scientiam Mediam fuiſſe Auguſtino ignotam, quamuis certiſſimum ſit, id adeo non ſcripſiſſe Molinam, vt è contrario

Digitized by Google

Scientiam eamdem varijs Auguſtini teſtimoniis Deo aſſerere conatus ſit.

77 Alterum argumentum contra Scientiam Mediam deducit P. Vincentius ex verbis S. Auguſtini lib. de prædeſt. SS. cap. 14. vbi S. Doctor hæc habet, *Dictum eſt Sap. 4. raptus eſt ne malitia mutaret intellectum eius, ſecundum pericula huius vitæ, non ſecundum praſcientiam Dei, qui hoc praſciuit quod erat futurum non quod futurum non erat; id eſt, quod ei mortem immaturam eſſet praſtiturus, vt tentationum ſubtraheretur incerto, non quod peccaturus eſſet qui manſurus in tentatione non eſſet.*

In hoc loco, inquit hic Author, quemadmodum lib. 2. ad Bonifacium c. 7. & lib. 1. de origine animæ c. 12. duobus argumentis impugnat Auguſtinus merita conditionatè tantum futura, ad quæ recurrebant Semipelagiani, vt tuerentur quod dixerant, gratiam hominibus dari ſecundum propria ipſorum merita: Primum repetit ex eo quod falſiſſimum & abſurdiſſimum ſit, homines pœnas dare aut præmia recipere, propter opera, quæ nunquam ſunt abſolutè futura, Alterum petit ex repugnantia Scientiæ huiuſmodi futurorum.

78 Cautè omnino, at minus rectè, rationem omittit P. Vincentius, quâ vtitur S. Auguſtinus, vt probet falſum eſſe atque abſurdum homines pænâ aut præmio affici ob merita

Digitized by Google

tantum conditionatè futura, nam ſi S. Auguſtini rationem, vti debuerat, ſubjunxiſſet; continuò intellexiſſent vel leuiter eruditi, S. Doctorem adeo non rejicere Scientiam Mediam, vt repugnantem, vt eam potius adſtruat, quò manifeſtius euertat Semipelagianorum errorem, circa merita conditionatè futura.

Sic igitur S. Auguſtinus aduerſus illum errorem argumentatur c. 14. de prædeſt. SS. ex illo loco Sap. 4, *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum eius. Si*, inquit, *iudicarentur homines pro meritis ſuæ vitæ quæ non haberent, morte præueniente, ſed habituri eſſent ſi viuerent: nihil prodeſſet illi qui raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius; nihil prodeſſet eis qui lapſi moriuntur, ſi ante morerentur; quod nullus dicere Chriſtianus audebit* & libro 1. de animâ & eius origine cap. 12. *ſi peccata*, inquit, *quæ ſi homo viueret commiſſurus eſſet, etiam non commiſſa damnantur in mortuo, nullum beneficium collatum eſt illi, qui raptus eſt ne malitia mutaret intellectum eius, quando quidem iudicabitur ſecundum eam quæ in illo fuerat futura malitia, non ſecundum illam quæ in eo inuenta eſt innocentia.* Eodem modo argumentatur lib. de bonæ perſeuerantio c. 9. ex verbis Chriſti Math. 11. *væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida.* Atqui vt oſtendi capite primo huius ſecundæ partis num. 4. hæc S. Auguſtini argumentatio nullam prorſus ha-

beret vim, ſi S. Doctor illis ſcripturæ teſtimonijs probare non poſſet, certum eſſe, & illum qui dum iuſtus eſt rapitur ex hac vita, peccaturum ſi diutius viueret, & Tyrios qui in ſtatu peccati mortui ſunt, pœnitentiam acturos, ſi apud ipſos factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt apud Iudæos, ſupponit igitur vtrumque tanquam certum, & vtrumque à Deo certò cognoſci.

Falſum eſt ergo, atque à S. Auguſtini mente penitus alienum, quod ſupponit P. Vincentius, & nunquam probat, ſcilicet S. Auguſt. refellere Semipelagianorum errorem ex repugnantia Scientiæ futurorum ſub conditione.

79 Dices S. Auguſtino lib. de prædeſt. SS. cap. 14. apertè reiicit Scientiam illam futurorum ſub conditione, dum ait, *dictum eſt ſecundum pericula huius vitæ, non ſecundum præſcientiam Dei, qui hoc præſciuit quod erat futurum, non quod futurum non erat.* Eamdem pariter reiicit lib. 1. de anima, & eius origine cap. 12. dum ait, *Quid quod exinanitur præſcientia, ſi quod præſcitur non erit: quomodo enim rectè dicitur præſciri futurum quod non eſt futurum.* S. Aug. Conſonat S. Proſper, Epiſt. ad Auguſt. vbi ſic ait, *Præterita quæ non exiſtant, & futura quæ non ſunt futura confingunt, nouoque abſurditatis genere, & non agenda præſcita ſunt, & præſcita non acta ſunt.*

Reſpondetur

Reſpondetur, his S. Aug. & Proſperi 80
locis non multum premi Scientiæ Mediæ Patronos, cum ipſa diſſidia Thomiſtarum eorum locorum ſenſum inueſtigantium ipſis arma ſubminiſtrent, quibus ſeſe accerimè defendant. Etenim ſi Ioannis à S. Thoma interpretationem ſequimur, S. Auguſt. & S. Proſp. iis in locis de præſcientia abſoluta loquuntur, non de conditionata, vt dixi diſp. 4. de Scientia Dei. cap. 2. à num. 26. ad 38. ideoque falſum eſt, iis in locis à SS. Doctoribus reiici ſcientiam futurorum ſub conditione.

Sin autem audire placet Carmelitas Salmanticenſes, iiſdem in locis S. Aug. & S. Proſp. impugnant ſcientiam futurorum ſub conditione quæ ſit independens à decreto exparte obiecti conditionato, non autem eam quæ præſupponit illud decretum. Verum ex hac Salmanticenſium interpretatione planè gratuitâ, & ad arbitrium libidinemque confictâ, id commodi accipimus, quod pari ſaltem cum fundamento, vt ibidem oſtendi, negare poſſimus PP illos reiicere ſcientiam conditionatam independentem à decreto, ac iſti negant ab iis reiici ſcientiam conditionatam à decreto dependentem.

Cæterum ſi quærit P. Vincentius, Quid 81
ad hæc teſtimonia ipſe reſpondeam, dico S. Auguſtinum & S. Proſperum ibi loqui de præſcientia abſoluta non conditionata. Ete-

Digitized by Google

nim quando lib. de prædeſt. SS. cap. 14. ait, illud Sap. 4. *raptus eſt ne malitia mutaret intellectum*, dictum eſſe ſecundum pericula huius vitæ, non ſecundum præſcientiam Dei, oſtendit contra Semipelagianos, locum illum ab ipſis non eſſe reiiciendum quaſi non eſſet libri Canonici; quamuis enim liber ex quo depromptus eſt, non foret Canonicus, illius tamen ſenſus adeo perſpicuus eſt, vt negari non debeat, ibi enim non dicitur Iuſtum raptum fuiſſe ex hac vita, quia Deus præſciuit abſolutè eum aliquando peccaturum, cum potius non peccaturum præſciuerit, & , inquit S. Doctor, præmaturâ morte rapiendum: ſed dictum eſt hoc ſecundum pericula huius vitæ, hoc eſt, dictum eſt de ſcientia per quam vidit iuſtum illum ſi diutius viueret, iis periculis exponendum, in quibus à iuſtitia recederet; ac propterea eum ex hac vitâ immatura morte rapuit Deus, vt ab iis peccandi periculis eximeret.

82 Quòd attinet ad locum alterum ex cap. 12. lib. 1. de anima & eius origine deſumptum, dico pariter ibi ſanctum Doctorem agere de præſcientiâ abſolutâ, ibi namque diſputat contra Vincentium Victorem, qui licet ex Donatiſta factus eſſet Catholicus, adhuc tamen variis implicatus erroribus tenebatur; atque inter cætera ſtatuebat, animas hominum antequam à Deo in-

Digitized by Google

funderentur in corpus, meruiſſe vt in eo, peccato originali inquinarentur. Hoc autem Auguſt. confutat, oſtendendo explicari non poſſe quale ſit illud meritum propter quod meruerint infundi in corpus, vt ibi peccatum originale contraherent.

At quoniam dicere aliquis potuiſſet, Deum eas animas in carnem peccatricem infundere, quas præſciuit, ſi ad ætatem perueniſſent, in qua libero vterentur arbitrio, male fuiſſe victuras; contra huiuſmodi reſponſionem inſurgit Auguſt. ac poſteaquam præmiſit ipſum Vincentium Victorem non auſum fuiſſe id dicere, probat id ſuſtineri non poſſe, loco illo Sap. 4. raptus eſt ne malitia mutaret intellectum. Tum aliud argumentum ſubiungit, quod continetur his verbis; *Quid quod exinanitur omnino præſcientia, ſi quod præſcitur non erit. Quomodo enim recte dicitur præſciri futurum quod non eſt futurum?* Horum autem verborum ſenſus eſt, præſcientia Dei inanis eſt, & omnino nulla in ordine ad pœnam vel præmium, ſi per eam opus præmio vel pœna dignum non præſcitur abſolutè futurum; *exinanitur omnino præſcientia, ſi quod præſcitur non erit*; atqui opera quæ facturi eſſent ſi viuerent, qui in infantia moriuntur, non præſciuntur abſolutè futura, *Quomodo enim recte dicitur præſciri futurum quod non eſt futurum?* Ergo præſcientia eorum quæ facturi eſſent ſi viue-

Digitized by Google

rent, qui in infantia moriuntur, inanis omnino & nulla eſt in ordine ad pœnam vel præmium.

Eodem ſenſu locutus eſt S. Proſper loco relato, vbi ait, Semipelagianos nouo abſurditatis genere exiſtimare, opera non agenda, ſeu quæ nunquam erunt abſolutè, præſciri à Deo præſcientiâ requiſitâ ad puniendum: quod dici non poteſt niſi abſurdiſſimè, cum Deus neminem abſolute puniat niſi ob mala opera quæ præſcit abſolute facta. Conſulat lector Ioannem à S. Thoma, diſp. 2. de Scientia Dei Art. 2. §. *ad ſecundum locum*: Tum vero intelliget, non poſſe P. Vincentium iis Aug. & Proſp. locis Scientiam Mediam impetere, niſi eodem impetu in Thomiſtas ipſos irruat & incurrat, *nouoque* vt Proſperi verbis vtar, *abſurditatis genere*, hos SS. PP. eodem in loco ſecum pugnantes, hoc eſt ſcientiam conditionatam in Deo negantes ſimul & affirmantes inducat.

83 Tertium P. Vincentij argumentum ex Auguſtino traditur. ſect. 2. Art. 2. §. 3. vbi ſic habet. S. Auguſtinus eam Scientiam reiecit tanquam inutilem ad ſaluandam libertatem, & vt Chriſti gratiæ infenſam, & in totum Deo repugnantem, quam SS. Proſper & Hilarius ſuis ad eum Epiſtolis retulerunt à Semipelagianis inuentam, tutandæ libertatis causâ, & conciliandæ cum gratia,

Digitized by Google

& ad explicanda prædeſtinationis Myſteria
Atqui hæc eſt illa ipſa ſcientia quam Molina
gloriatur à ſe excogitatam: Ergo S. Aug.
ſcientiam à Molina propugnatam reiecit.

Hoc argumentũ in quo non ſolum ſpem 84
victoriæ omnem ſed huius etiam certitudinem
collocare videtur P. Vincentius, tam
parũ ſolidè fabricatũ eſt, vt vix contineat aliquid
veri & dici poſſit *reſticula de arena nexa*
vt ſimiles huic probationes appellauit Irenæus;
ſcatere illud miris & multis falſitatibus
has enumerando ſic probo. Primùm falſum
eſt, Proſperum & Hilarium ſuis ad Auguſt.
epiſtolis retuliſſe, Scientiam Conditionatam
quâ Semipelagiani abutebantur ad tutandum
errorem ſuum, fuiſſe ab illis inuentam:
hoc enim in illis Epiſtolis non legitur, ſed
merum P. Vincentij commentum eſt, nullo
prorſus fundamento innixum. Retulerunt
quidem PP illi ad Auguſtinum, Maſſilienſes
quoſdam Presbyteros, cum in infantibus
non inuenirent bonum aliquod meritum
quod gratiæ baptiſmalis infuſionem
præcederet, confugiſſe ad opera bona quæ
facturi eſſent ſi viuerent. At nullibi dicunt
præſcientiam per quam Deus vidit ab æterno
opera bona & mala quæ Infantes qui
poſt ſuſceptum baptiſmum moriuntur facturi
eſſent ſi viuerent, fuiſſe à Semipelagianis
inuentam.

2. Falſum eſt eoſdem Patres retuliſſe ad 85

Digitized by Google

Auguſtinum, Presbyteros illos huiuſmodi præſcientiam adhibuiſſe, vt libertatem arbitrij conciliarent cum gratiâ, & explicarent myſterium diuinæ prædeſtinationis meritorum omnium præuiſionem antecedentis. Aiunt quidem hi Patres Presbyteros illos confugiſſe ad merita infantium conditionatè futura, vt oſtenderent quomodo illis gratia Baptiſmi conferatur intuitu alicuius meriti præcedentis, & quomodo Deus nemini præparet gratiam niſi intuitu boni alicuius meriti per ſolas naturæ vires comparati. At nuſquam ad Auguſtinum referunt quod eos retuliſſe aſſerit P. Vincentius.

86 3. Falſum eſt Auguſtinum huiuſmodi præſcientiam conditionatam reieciſſe, *vt inutilem ad ſeruandam arbitrij libertatem, vt Chriſti gratiæ infenſam & vt in totum Deo repugnantem*. Nihil enim huiuſmodi in vniuerſis Auguſtini operibus inuenitur; Sed è contrario frequenter idem S. Doctor eâdem vtitur Dei præſcientiâ vt Semipelagianorum errorem refellat.

87 4. Denique falſum eſt Molinam gloriari, ſcientiam hanc conditionatam à ſe fuiſſe excogitatam, cum è contrario eo in loco vbi eam adſtruit, ſupponat tam expreſsè tradi à SS. Patribus, tamque apertè deduci ex ſacris paginis, vt à nemine negari queat. Fatetur quidem Molina ſe neminem vidiſſe, qui cum quo ipſe vſus eſt modum conci-

Digitized by Google

liandæ libertatis cum efficacia diuinæ gratiæ & prædeſtinatione claré & diſtinctè adhibuerit, ſed nullibi gloriatur Scientiam Mediam à ſe fuiſſe excogitatam.

Certè cum P. Vincentius tot falſas propoſitiones in vna ſolam congeſſerit argumentationẽ, haud par erat, omnes & ſingulas vſque adeo imbecillas prodire, ſed idoneo aliquo teſtimonio munitas, vt fidei aliquid mererentur aut impetrarent, atque leuẽ ſaltẽ veriſimilitudinis vmbram præ ſe ferrent; At in toto illo Paragrapho valdè prolixo illo quidẽ nunquam probat, aut Proſperum & Hilarium retuliſſe Scientiam Mediam fuiſſe à Semipelagianis excogitatam tutandæ libertatis cauſâ & conciliandæ cum gratia & prædeſtinatione, aut S. Auguſtinum ſcientiam eamdem reiecciſſe, vt inutilem ſeruandæ libertati, vt Chriſti gratiæ infenſam, & Deo in totum repugnantem, aut Molinam de Scientiâ Mediâ gloriari, tanquam à ſe inuenta; ſed in eo totus eſt, vt adſtruat quod vltro concedimus, videlicet Semipelagianos, cum deerant merita abſoluta, ad conditionata confugiſſe, vt oſtenderent gratiam ex meritis dari: nihil igitur concludit argumentatione illa tot falſis principiis innixa, qua examinatâ merito poſſit homo doctus admirans dicere; Hiccine eſt Achilles tam imbellis, à quo ſpes erat, inſignem victoriam relatum iri.

Digitized by Google

Quartum Argumentum proponit idem
88 Author eiuſdem Art. §. 5. poſteaquam præmiſit, prædeſtinationis nomen apud Auguſtinum ſignificare decretum Dei quodcunque de re abſolutè vel conditionatè futurâ; quo ſenſu, inquit, S. Auguſtinus cap. 9. de prædeſt. SS. futura etiam conditionata à prædeſtinatione ſeu latenti conſilio vera eſſe docet: tum vero hunc in modum argumentatur. Futuris ſeu abſolutè, ſeu conditionatè reſpondere debent decreta actualia proportionata, atqui D. Auguſtinus locis citatis de prædeſt. SS. & de bono perſeuerantiæ agit de futuris vtriuſque generis. Ergo conſtituit decreta actualia, ſeu conſilia latentia quibus eorum veritas nitatur.

Reſpondetur argumentationem hanc eodem quo præcedentem dixi vitio laborare. Siquidem, & obſeruatio quæ huic præmittitur falſa eſt; & maior & minor Syllogiſmi propoſiti non ſunt veræ.

89 Ac primò quidem obſeruat P. Vincentius, Prædeſtinationis nomen ab Auguſtino vſurpari c. 9. de prædeſt. SS. pro decreto Dei efficaci quatenus complectitur abſolutum & conditionatum ex parte obiecti; at ego concedo S. Auguſtinum in libris de prædeſtinatione SS. & de bono perſeuerantiæ, nomine prædeſtinationis illud ſolum decretum intelligere, quo Deus ab æterno ſtatuit abſolutè tribuere aliquibus auxilia di-

uinæ

uinæ gratiæ, cum quibus infallibiliter ſalutem æternam conſequentur: atque id patet ex ipsâ definitione Prædeſtinationis quam tradit lib. de bono perſeuerantiæ cap. 14. vbi ait, *Hæc prædeſtinatio SS. nihil aliud eſt, quam præſcientia* ſcilicet *& præparatio beneficiorum Dei. quibus certiſſimè liberentur quicunque liberantur; cæteri autem vbi, niſi in maſſâ perditionis iuſto Dei iudicio relinquuntur, vbi Tyrij & Sidonij relicti ſunt.* Hæc autem definitio non conuenit niſi decreto quo Deus abſolutè ſtatuit aliquos ad ſalutem æternam perducere; aliis in maſſa perditionis relictis. Atque hoc pluribus oſtendi diſput. 5. de Scientia Dei cap. 4.

At quoniam P. Vincentius exiſtimat S. Auguſtinum c. 9. de prædeſtinatione SS. Prædeſtinationis nomen latius vſurpare, quatenus extenditur ad decretum Dei efficax ex parte obiecti conditionatum; demonſtrandum eſt mihi eo in loco nihil penitus contineri, quo ſuam hanc opinionem tueri queat; hoc autem ſic oſtenditur.

Duo ſunt in illo capite vnde P. Vincentius 90
haurire ſe poſſe credit decretum efficax ex parte obiecti conditionatum, cui veritas conditionata nitatur. Primum eſt, quod Auguſtinus contra Porphyrium, dum ad illam quæſtionem cur Chriſtus poſt tam longa tempora venerit, reſponderet tunc

voluiſſe Chriſtum hominibus apparere, quando ſciebat, & vbi ſciebat eſſe qui in eum fuerant credituri; ſubiunxit, ſe hoc de præſcientiâ Dei dicere voluiſſe *abſque præiudicio latentis conſilij Dei*, nomine autem *latentis conſilij Dei*, cenſet Author iſte, ſignificari ab Auguſtino decretum efficax, in quo Chriſtus viderit eos qui in ipſum erant conditionatè credituri; ſed profectò nihil dici potuit quod ab Auguſtini mente magis abhorreat; Quærunt infideles ab Auguſtino, *cur Chriſtus in hunc mundum poſt tam longa tempora venerit*; Reſpondet S. Doctor præter *diuinum conſilium quod in altitudine Sapientiæ Dei ſecretius latet, & alias cauſas quæ à prudentibus inueſtigari queunt, hanc inſuper reddi poſſe, videlicet tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, quando ſciebat, & vbi ſciebat, eſſe qui in eum fuerant credituri.*

At quis non intelligit vel ex ipſo verborum contextu, latens illud Dei conſilium non proponi ab Auguſtino vt medium in quo Chriſtus præſciuerit, qui eſſent in ipſum credituri, ſed adduci vt vnam ex cauſis, eamque latentem, ob quam Chriſtus in mundum poſt tam longa tempora venerit. Falſò igitur & contra manifeſtam S. Auguſtini mentem nomine *latentis conſilij Dei* intelligitur à Thomiſtis decretum efficax ex parte obiecti conditionatum, in quo Deus

Digitized by Google

nouerit futura ſub conditione; præſertim cum decretum huiuſmodi ſoluendæ quæſtioni à Paganis propoſitæ eſſet prorſus ineptum.

Alterum vnde Thomiſticum illud decretum repetit P. Vincentius, continetur his verbis. *Quid enim verius quam præſciſſe Chriſtum Qui & Quando, & Quibus locis in eum fuerant credituri? Sed vtrum prædicato ſibi Chriſto habituri eſſent fidem, an Deo donante ſumpturi; id eſt vtrum tantummodo eſſe præſciuerit, an etiam prædeſtinauerit Deus; quærere ac differere tunc neceſſarium non putaui.* 91

Mirum ſanè eſt cogitationem hanc in mentem Theologi venire poſſe, vt exiſtimet S. Auguſtinum eo loci nomine Prædeſtinationis intelligere decretum conditionatum in quo Deus nouerit, qui eſſent in eum credituri.

Si hæc Thomiſtarum interpretatio admitteretur ſenſus Auguſtini eſſet iſte? Vtrum autem Deus præſciuerit dumtaxat qui eſſent in Chriſtum credituri, ſi apud ipſos prædicaretur Euangelium, an etiam habuerit decretum efficax conditionatum, in quo certò præuiderit ipſos credituros in Chriſtum, quærere tunc neceſſarium non duxi.

Atqui illud ipſum hoc loco quærere deq; eo differere erat quoque inutile; ibi nãque

Digitized by Google

S. Auguſtinus quæſtionem longè diuerſam agitabat contra Semipelagianos. Neque enim tunc quærebatur, an Deus videret futura conditionata dependenter vel independenter à decreto ex parte obiecti conditionato; ſed vtrum prædeſtinatio, ſeu gratiæ præparatio, præcederet omne bonum meritum atque adeo ipſam hominis credere incipientis fidem, tanquam illius principium & cauſa præcipua, an potius vt ſtatuebant Semipelagiani, præſupponeret bonum aliquod meritum ſolis naturæ viribus comparatum, cuius intuitu moueretur Deus ad gratiam præparandam & dandam, quâ deinceps perficeret homo, quod bono naturæ bene vſus inceperat; eò reducitur tota inter Auguſtinum & Semipelagianos controuerſia, vt patet ex ipſo contextu totius libri de Prædeſtinatione Sanctorum; vbi in hoc totus incumbit Auguſtinus vt probet, ipſam quoque fidem & bonam voluntatem credendi quæ initium eſt fidei donari per gratiam, atque adeo præparationem gratiæ ipſam fidem præcedere, vt ipſius cauſam atque principium.

Non igitur eo loco de Thomiſtico decreto diſſerit Auguſtinus, cum ad præſentem controuerſiam eſſet prorſus impertinens; ſed nomine Prædeſtinationis illam intelligit, vt conſtat ex iis quæ ſtatim ſubiungit, per quam electi ſunt aliqui à Deo ante mundi conſti-

tutionem, aliis in maſſa perditionis relictis: hæc autem non eſt alia niſi prædeſtinatio abſoluta, per quam præparantur aliquibus media ſeu auxilia gratiæ, quibus certiſſimè liberentur & ſalui fiant.

Hinc colliges argumentationē P. Vincentij, quæ tota quāta eſt obſeruationi iam confutatæ tanquā fundamento innititur, nullam prorſus habere vim, neque enim poteſt ex falſo principio niſi falſa concluſio deduci. 92

Ac primò quidem dum ait futuris ſeu conditionatè, ſeu abſolutè, reſpondere debere decreta actualia proportionata, ſupponit quod eſt probandum: nam futuris tantum ſub conditione, nullum debet actuale decretum præſupponi, vt ſæpius eſt demonſtratum. Ac quamuis id ſe libris integris S. Auguſtini probaturum ſpoponderit Author iſte, nullum tamen ex Auguſtino locum refert, quo probet futuris conditionatis debere reſpondere decretum actuale conditionatum.

Totus ergo eſt in altera hoc eſt, minori 93
propoſitione probanda, quæ ſic habet, *Atqui S. Auguſt. locis citatis de prædeſtinatione SS. & de bono perſeuerantiæ : agit de futuris vtriuſque generis*, videlicet abſolutis & conditionatis; ſed Quid tum, modo non ſtatuat futura conditionata videri à Deo in decreto efficaci ex parte obiecti conditionato, annon intelligit P. Vincentius in hoc vno contro-

Digitized by Google

uerſiam circa quam verſamur poſitam. Quorſum igitur quam ipſe tuetur ſententiam Auguſtini Authoritate non probat, & in eo quod omnes concedimus, adſtruendo, operam collocat.

Ecce fatemur omnes S. Auguſtinum in libris de prædeſtinatione ſanctorum & de bono perſeuerantiæ, admittere duplicem ſententiam, vnam per quam videt contingentia abſolutè futura, alteram per quam videt futura ſub conditione: vtrum autem Deus videat futura conditionata dependenter vel independenter à decreto conditionato, de quo præſens eſt controuerſia, de hoc ex profeſſo ibi non diſputat; cum iis in libris quæſtio longè diuerſa agitaretur.

Nonnulla tamen ibi tradit Sanctiſſimus
94 Doctor, vnde colligere liceat Deum præſcire multa conditionatè futura, independenter ab efficaci decreto ex parte obiecti conditionato; vt ſunt peccata futura ſub conditione: nam S. Auguſtinus c. 10. de prædeſt. SS. diſertiſſimè docet Deum præſcientiâ abſolutâ præſcire multa hominum peccata abſolutè futura, quæ ipſe non prædeſtinat. At ſi iuxta S. Doctorem abſoluta peccatorum futuritio non nititur efficaci Dei decreto, quod ab Auguſtino prædeſtinatio vocatur iuxta Thomiſtas, profectò neque futuritio conditionata eorumdem nitetur decreto efficaci conditionato: ergo Deus illa præſcit fu-

tura ſub conditione independenter à decreto ex parte obiecti conditionato.

Cæterum ſi ſemel admittitur Scientia Media in Deo reſpectu peccatorum futurorum ſub conditione; inde facile concludetur, eamdem admitti debere reſpectu bonorum operum conditionatè futurorum. Et certè negari non poteſt ipſam prædeſtinationem abſolutam,per quam Deus præparat aliquibus auxilia gratiæ, quibus certiſſimè ſalutem conſequantur, neceſſario præſupponere ſcientiam aliquam, per quam Deus certò cognoſcat, & quidem ante omne actuale decretum, habere ſe in ſuæ omnipotentiæ theſauris auxilia gratiæ, cum quibus is qui prædeſtinatur,ſaluabitur ſi illi tribuantur; hanc autem ſcientiam cum ſit independens ab omni actuali Dei decreto, mediam vocamus; quocirca ſi in aliquo à Thomiſtis diſcrepamus quantum ad rem: in hoc ab iis diſſentimus, quod Thomiſtæ cenſent auxilia gratiæ cum quibus videt Deus hominem ſaluandum ſi ei tribuantur, eſſe ex ſe indefectibilia, & talia vt eorum effectus à voluntate creata impediri nequeat; nos vero cum S, Thoma contendimus, auxilia huiuſmodi eſſe ex ſe defectibilia, cum effectus bonus ex illis non neceſſariò ſed contingenter oriatur.

His innixi principiis, & aliis quæ retuli in diſputatione 5. de Scientia Dei cap. 3. con-

tendimus Scientiam Mediam S. Auguſtini doctrinæ plane eſſe conformem; cum è contrario ne vnum quidem Auguſtini locum proferre Thomiſtæ queant, quo ſuum illud decretum conditionatum tueantur.

Capvt Octavvm

An modus conciliandi libertatem arbitrij cum gratia efficaci & prædeſtinatione, beneficio Scientiæ Mediæ ſit conſentaneus S. Auguſtini principiis.

96 PRæmitto S. Auguſtinum, iuxta magis receptam apud Theologos opinionem cenſuiſſe prædeſtinationem hominum ad gloriam, hoc eſt, voluntatem illam per quam Deus decreuit efficaciter ab æterno eos, qui reipſa ſaluantur perducere ad gloriam æternam, antecedere præuiſionem abſolutam meritorum, quibus illi qui ſalui fiunt; felicitatem æternam promerentur; ita vt hæc Dei voluntas ſit cauſa & veluti prima radix huiuſmodi meritorum.

Inde fit vt vi huiuſce voluntatis, cum ſit efficaciſſima, iis qui ſalutem æternam conſequuntur, dentur auxilia diuinæ gratiæ, quibus inſtructi certiſſimè atque infallibiliter bona

Digitized by Google

bona opera exerceant, & perſeuerent in ſtatu juſtitiæ vſque ad finem vitæ.

Hinc grauis oritur difficultas, quæ Theologorum ingenia non parum torquet, quomodo ſcilicet humani arbitrij libertas cum huiuſmodi prædeſtinatione concilietur, & cum auxiliis diuinæ gratiæ quæ vi huiuſmodi voluntatis hominibus tribuuntur. Etenim vel auxilia gratiæ quæ vi prædeſtinationis antecedentis, dantur hominibus prædeſtinatis, ſunt ex ſe indefectibilia, vt loquitur S. Thomas, ita vt non ſit in poteſtate voluntatis eorum qui illa recipiunt, impedire illorum effectum; ita vt effectus ex iis contingenter oriatur, poſſitque impediri à voluntate cui dantur à Deo. Si auxilia huiuſmodi ex ſe indefectibilia eſſe dixeris; ergo effectus ad quem dantur ex iis oritur neceſſariò, ideoque non fit libere ab iis qui illa recipiunt; Sin autem defectibilia eſſe contendis; poteſt igitur à recipientibus impediri illorum effectus, atque ita fieri poteſt vt prædeſtinatus non perſeueret, & ſalutem non conſequatur, quod tamen omnino repugnat.

Quid ad hanc difficultatem reſpondeat P. Vincentius, quàmque aptè cohæreat eiuſdem reſponſio cum S. Thomæ principiis, dicam inferius capite vltimo, quomodo autem Scientiæ Mediæ aſſertores eiuſdem ſcientiæ beneficio nodum hunc ſoluant, nunc paucis aperio.

vel sunt ex defectibilia

Digitized by Google

97 Aiunt igitur auxilia diuinæ gratiæ quæ vi prædeſtinationis antecedentis homini prædeſtinato præparantur ad hoc vt bene operetur, & in iuſtitiâ perſeueret vſque ad mortem, eſſe ex ſe defectibilia, hoc eſt eiuſmodi, vt in libero ſit voluntatis ea recipientis arbitrio illis conſentire vel diſſentire, cum iis perſeuerare & non perſeuerare in ſtatu iuſtitiæ; atque ita nullo modo pugnant cum libertate arbitrij, quam prorſus illæſam relinquunt, eamque perficiunt vt rectè operetur & ſanctè viuat. Hoc tamen non impedit quominus prædeſtinatio, vi cuius homini prædeſtinato præparantur & dantur, infallibiliter aſſequatur effectum ſuum; Id vero hunc in modum demonſtrant. Voluntas Dei
98 prædeſtinans obtinet infallibiliter vt homo prædeſtinatus liberè, & bene operetur & perſeueret in ſtatu iuſtitiæ, ſi vi illius præparãtur homini prædeſtinato auxilia gratiæ, cum quibus præuidet Deus illum bene operaturũ, & perſeueraturum in ſtatu iuſtitiæ, ſi ei tribuantur in talibus circunſtantiis; cum enim præſcientia Dei falli non poſſit, ſi vi Prædeſtinationis præparantur & dantur homini prædeſtinato auxilia gratiæ ad bene agendum eo loco & tempore & in illis circunſtantiis, in quibus prȩuidetur cum talibus auxiliis bene operaturus & perſeueraturus ſi ea acceperit: profecto infallibile eſt voluntatem Dei prædeſtinantem aſſecuturam effectum ſuum.

Digitized by Google

Atqui iuxta ſententiam aſſertorum Scientiæ Mediæ, Deus vi voluntatis prædeſtinantis præparat homini prædeſtinato auxilia diuinæ gratiæ, cum quibus præuidet eum bene operaturum & perſeueraturum in ſtatu iuſtitiæ, ſi ei tribuantur; ergo iuxta illorum ſententiam prædeſtinatio antecedens certiſſimè atque infallibiliter aſſequitur effectum ſuum, ſaluâ & integrâ prorſus hominis prædeſtinati libertate.

At ne fortè P. Vincentius in hac concor- 99
dia diuinæ Prædeſtinationis & gratiæ cum libertate, myſterium aliquod latere putet, recolendum eſt quod ſub finem capitis præcedentis obſeruaui; videlicet voluntatem Dei præparantem homini prædeſtinato auxilia gratiæ, cum quibus certiſſimè liberetur, hoc eſt declinet à malo & perſeueret in iuſtitia vſque ad finem vitæ, præſupponere neceſſariò in Deo ſcientiam per quam nouit habere ſe in ſuæ omnipotentiæ theſauris varia gratiæ auxilia, cum quibus is quem prædeſtinat bene operetur, & perſeueret in ſtatu gratiæ ſi ei tribuantur.

Atque hoc, velint nolint, fateri debent 100
Thomiſtæ; Deus enim non agit cæco & imprudenti modo, dum hominibus prædeſtinatis præparat auxilia gratiæ cum quibus certiſſimè liberentur; ergo priuſquam illa præparet & tribuat, neceſſe eſt vt certò nouerit auxilia illa habitura effectum illum ſi

Digitized by Google

dentur. Quocirca ſi quid diſcriminis inter Thomiſtas & Scientiæ Mediæ aſſertores intercedit, in eo ſolum conſiſtit, quod Thomiſtæ ſtatuant auxilia illa, cum quibus Deus videt hominem bene operaturum ſi dentur, eſſe ex ſe indefectibilia, & neceſſariò connexa cum effectu; iſti verò contendant eſſe ex ſe defectibilia, & talia vt ex iis effectus contingenter oriantur, ſitque in poteſtate voluntatis creatæ eorum effectum impedire.

101 His ita conſtitutis operæ pretium eſt P. Vincentium interrogare, & ſciſcitari ab eo, quid illud ſit, quod in propoſita diuinæ prædeſtinationis & gratiæ cum libertate concordia improbatur ab Auguſtino? Num fortè S. Doctor negat voluntatem præparantem homini ad gloriam electo, auxilia gratiæ per quæ certiſſimè liberetur & perſeueret in bono, præſupponere in Deo ſcientiam per quam nouerit habere ſe in ſua poteſtate auxilia, cum quibus is cui tribuentur tali loco, tali tempore & in talibus circunſtantiis, bene operabitur, & perſeuerabit in bono? At cognitio huiuſmodi negari Deo non poteſt, niſi velimus cum cæco & imprudenti modò agere, & cum manifeſto periculo non obtinendi finem ſuum.

Deinde idem S. Doctor huiuſmodi ſcientiam diſertiſſimis verbis admittit in Deo lib. 1. ad Simplicia. q. 2, vbi hæc habet; *Item ve-*

Digitized by Google

rum eſt, non volentis; neque currentis ſed miſerentis eſt Dei: quia etſi multos vocet, eorum tamen miſeretur quos ita vocat, quomodo eis aptum eſt vt ſequantur. Falſum eſt autem, ſi quis dicit; igitur non miſerentis eſt Dei. ſed volentis atque currentis eſt hominis; Quia nullius Deus fruſtra miſeretur; cuius autem miſeretur, ſic eum vocat. quomodo ſcit ei congruere vt vocantem non reſpuat.

Ecce clariſſimis verbis pronunciatum ab Auguſtino, quando Deus cuiuſpiam miſeretur, eum vocare eo modo quo ſcit illi congruere vt vocantem non reſpuat, voluntas ergo miſerendi, cum ſit voluntas vocandi hominem eo modo quo Deus nouit huic congruere, vt vocantem non reſpuat, præſupponit neceſſariò in Deo ſcientiam, per quam nouit habere ſe auxilia gratiæ quæ ita conueniunt huic homini, vt illis ſit conſenſurus ſi ei tribuantur.

Concludendum eſt igitur, eos ab Auguſtini principiis haudquaquam recedere, qui ſtatuunt, voluntatem per quam Deus præparat homini cuipiam auxilia cum quibus certiſſimè ſalutem conſequatur, dirigi ad hæc auxilia ſeligenda ſcientiâ illâ per quam Deus nouit, cum quibus gratiæ auxiliis hic homo ſit benè operaturus, & in bono perſeueràturus, ſi ei tribuantur.

Dixerit forte aliquis S. Auguſtinum non 102
improbare quod traditur ab Aſſertoribus

Digitized by Google

Scientiæ Mediæ, dum aiunt, præparationem auxiliorum cum quibus certiſſimè liberantur quicunque liberantur, dirigi per ſcientiam illam quâ Deus videt, cum quibus auxiliis ſit quilibet homo ſalutem conſecuturus, ſi ei tribuantur: ſed illud tantum reſpuere, quod docent auxilia illa cum quibus præuidet Deus homines benè operaturos ſi dentur, eſſe ex ſe eiuſmodi, vt in libero humanæ voluntatis arbitrio poſitum ſit, iis conſentire vel diſſentire.

At tantum abeſt vt illud improbet Auguſtinus, vt è contrario ex variis eius locis colligi queat, nihil hac in re à Scientiæ Mediæ defenſoribus aſſeri, quod pugnet cum S. Auguſtini principiis.

103 Ac primò quidem, Quamuis fateamur auxilia gratiæ, cum quibus præuidet Deus hominem aliquem bene operaturum, ſi ei tribuantur, eſſe ex ſe eiuſmodi, vt ſit in poteſtate voluntatis creatæ illa abſolutè abiicere, & cum iis coniungere negationem conſenſus: hoc tamen non impedit quominus voluntas Dei prædeſtinans, per quam huiuſmodi auxilia præparantur iis qui ſaluantur, obtineat infallibiliter effectum ſuum, vt iam ſupra oſtendi: ergo ad ſtabiliendam certitudinem atque infallibilitatem diuinæ Prædeſtinationis, neceſſe non eſt vt dicamus auxilia cum quibus præuidet Deus hominem bene operaturum ſi dentur, eſſe ex ſe

Digitized by Google

indefectibilia, aut phyſicè prædeterminantia.

Deinde, quando S. Auguſtinus de illo 104
gratiæ auxilio diſſerit, cum quo homo credit, aut ſperat, aut benè operatur, quodque vocat *auxilium quo* tale illud eſſe pronunciat, vt ſit in poteſtate voluntatis humanæ huic conſentire aut diſſentire; ſic enim loquitur lib. de prædeſtin. SS. c. 5. *Quiſquis audet dicere habeo ex meipſo fidem, non ergo accepi: profectò contradicit huic apertiſſimæ veritati*; quid habes quod non accepiſti? *Non quia credere vel non credere non eſt in arbitrio voluntatis humanæ, ſed in electis præparatur voluntas à Domino.* In quibus verbis apertè declarat Doctor ſanctiſſimus, quamuis Deus præparet hominis voluntatem ad credendum, tribuendo illi auxilium cum quo ſcit illum crediturum, ſemper tamen in libero hominis arbitrio relinqui vt credat vel non credat, hoc eſt, vt auxilio gratiæ quo ad credendum trahitur, vel credendo conſentiat, vel non credendo diſſentiat.

Atque hoc ipſum multò ante tradiderat idem S. Doctor lib. de ſpiritu & littera c. 34. vbi de interna vocatione, hoc eſt de interno diuinæ gratiæ auxilio diſputans ait, ad ipſum Deum pertinere, vt homines ad ſe vocet & trahat ſuæ gratiæ beneficio: *conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſen-*

Digitized by Google

tire, propria voluntatis eſſe: Huius autem rei rationem hanc reddit S. Proſper lib. 2. de vocat. Gentium. vbi ait liberum eſſe iis qui rationis iudicio vtuntur, *à gratia diſcedere, vt non diſceſſiſſe ſit præmium, & vt quod non poteſt, niſi cooperante ſpiritu fieri, eorum meritis deputetur, quorum id potuit voluntate non fieri.*

Porro ſi iuxta S. Auguſtinum, auxilium diuinæ gratiæ, cum quo bene aliquis operatur eſt eiuſmodi, vt ſit in poteſtate voluntatis humanæ huic conſentire, vel ab eo diſſentire; profectò non eſt ex ſe indefectibile, & cum conſenſu voluntatis tam arctè connexum, vt eius effectus impediri à voluntate non poſſit: ſupereſt ergo, vt ſit ex ſe defectibile, hoc eſt tale vt conſenſus ex eo contingenter oriatur; quod S. Thomæ doctrinæ eſſe planè conforme ſuperius eſt demonſtratum.

105 Hinc infero modum conciliandi libertatem arbitrij cum Prædeſtinatione & gratia, Scientiæ Mediæ beneficio, nihil penitus continere, quod à S. Auguſtini doctrina atque principiis abhorreat; atque id prorſus euincit tacita ipſius P. Vincentij confeſſio; cum enim nullum prorſus adducat S. Auguſtini teſtimonium, quo huiuſmodi concordiam libertatis cum gratia refellat, nec alio nos vrgeat argumento, niſi S. Auguſtini ſilentio; eo ipſo teſtatur in vniuerſis operibus Augu-

Auguſtini, ne vnum quidem locum inuenire ſe potuiſſe, quid propoſitæ ab Scientiæ Mediæ aſſertoribus concordiæ libertatis cum prædeſtinatione & gratia aduerſaretur. Sed age expendamus Vincentianum hoc argumentum ex Auguſtini ſilentio petitum, & experiamur an tanta ſit illius vis, vt ſuo illo ſilentio Scientiæ mediæ vſum non minus efficaciter Auguſtinus refellat, quam ſi eum verbis expreſſis improbaſſet.

Obiicit ergo P. Vincentius ſect. 2. art. 6. 106
§. 6. Vel Scientiæ Mediæ ratio perinde nota fuit Auguſtino & probata, vt eius aduerſariis, ſcilicet Semipelagianis; Vel nota quidem fuit, ſed ab eo improbata. Si hoc vltimum admittas, nihil tibi reliqui facis commune cum Auguſtino. Si primum velis, Auguſtinũ reum peragis eiuſdem ſceleris, cuius Apoſtolus damnat philoſophos, nempe veritatis per ſummam iniquitatem detentæ, omnino neceſſariæ ad Eccleſiæ componendas diſſenſiones.

Quod ſi quiſpiam reſpondeat vſum huius ſcientiæ cum auxiliis gratiæ, & decretis ab Auguſtino aſſertis optimè conuenire, inſtat idem Author, & ait: ſi hoc ita ſit, cur ipſemet Auguſtinus concordiam hanc ſuorum cum ea ſcientia dogmatum non aperuit? cur tacuit, cum eâ ſemel manifeſtatâ, deſitura eſſent tot ſcandala, quibus Eccleſia premebatur; ea vero occultatâ aut tacitâ inualeſce-

Digitized by Google

rent ſcandala, & maiora timerentur. Sane hoc ſilentio plus Eccleſiæ nocuiſſet Auguſtinus, quam tot ſcriptis de gratia & libero arbitrio libris profuerit.

107 Hæc eſt P. Vincentij aduerſus Scientiæ Mediæ vſum argumentatio ab Auguſtini authoritatè petita, cuius vis in eo tota conſiſtit, quod inde concludat, S. Auguſtinum modum conciliandi libertatem arbitrij cum Prædeſtinatione & gratia, beneficio Scientiæ Mediæ, penitus improbaſſe, quod eam ad nodum illum ſoluendum clarè atque diſtinctè non adhibuerit.

At ſi hæc argumentatio haberet aliquam vim, dicendum eſſet, S. Auguſtinum non ſolum improbaſſe modum conciliandi libertatem cum gratia, quo vtuntur Thomiſtæ; ſed etiam modos omnes quibus Theologi Scholaſtici ad ſoluendam hanc difficultatem hactenus vſi ſunt, certum eſt enim S. Auguſtinum nullibi ex profeſſo docere aut explanare, quonam modo concilietur libertas arbitrij cum prædeſtinatione & gratia, contendit quidem S. Doctor diuinæ gratiæ auxilium libertatem arbitrij non euertere ſed perficere, variiſque in locis vtrumque contra Pelagianos defendit, videlicet Deum trahere hominum voluntates ad bene operandum, & homines Deum trahentem libero ſequi arbitrio. Cæterum vtramque hanc veritatem contra Hereticos ſtabiliſſe conten-

Digitized by Google

tus, de modo quo eædem veritates inter ſe conciliantur, ex profeſſo non diſputat; ſed nonnulla duntaxat tradit principia, ex quibus colligere licet, modum conciliandi libertatem cum prædeſtinatione & gratia, beneficio Scientiæ Mediæ, adeo non fuiſſe reprobatum ab Auguſtino, vt potius eiuſdem principiis ſit planè conformis.

Quocirca ad P. Vincentij argumentationẽ 108
directe reſpondeo, Scientiam Mediam fuiſſe omnino cognitam Auguſtino, eâque S. Doctorem vſum eſſe vt merita conditionata à Semipelagianis inducta refelleret. Modum autem conciliandi prædeſtinationem & gratiam cum libertate arbitrij beneficio Scientiæ Mediæ, diſtinctè & ex profeſſo non tradidiſſe: virtualiter tamen, vt ita loquar, atque implicitè eum approbaſſe, ſtabiliendo principia quibus innititur.

Quod ſi quiſpiam inquirat, quid cauſæ ſit cur S. Auguſtinus modum illum non adhibuerit, cum ea ratione Semipelagianorum querelas compeſcere potuiſſet; Reſpondeo ſilentij huius rationem reddendam eſſe P. Vincentio, cum certiſſimè conſtet modum quo ipſe vtitur ad conciliandam libertatem cum gratia, clarè atque diſtinctè ab Auguſtino non fuiſſe traditum. Satis nimirum fuit S. Doctori, Catholica dogmata validis argumentis ex ſcriptura petitis aduerſus Hæreticos ſtabilire, & certa principia tra-

Digitized by Google

rent ſcandala, & maiora timerentur. Sane hoc ſilentio plus Eccleſiæ nocuiſſet Auguſtinus, quam tot ſcriptis de gratia & libero arbitrio libris profuerit.

107 Hæc eſt P. Vincentij aduerſus Scientiæ Mediæ vſum argumentatio ab Auguſtini authoritate petita, cuius vis in eo tota conſiſtit, quod inde concludat, S. Auguſtinum modum conciliandi libertatem arbitrij cum Prædeſtinatione & gratia, beneficio Scientiæ Mediæ, penitus improbaſſe, quod eam ad nodum illum ſoluendum clarè atque diſtinctè non adhibuerit.

At ſi hæc argumentatio haberet aliquam vim, dicendum eſſet, S. Auguſtinum non ſolum improbaſſe modum conciliandi libertatem cum gratia, quo vtuntur Thomiſtæ; ſed etiam modos omnes quibus Theologi Scholaſtici ad ſoluendam hanc difficultatem hactenus vſi ſunt, certum eſt enim S. Auguſtinum nullibi ex profeſſo docere aut explanare, quonam modo concilietur libertas arbitrij cum prædeſtinatione & gratia, contendit quidem S. Doctor diuinæ gratiæ auxilium libertatem arbitrij non euertere ſed perficere, variiſque in locis vtrumque contra Pelagianos defendit, videlicet Deum trahere hominum voluntates ad bene operandum, & homines Deum trahentem libero ſequi arbitrio. Cæterum vtramque hanc veritatem contra Hæreticos ſtabiliſſe conten-

Digitized by Google

tus, de modo quo eædem veritates inter ſe conciliantur, ex profeſſo non diſputat; ſed nonnulla duntaxat tradit principia, ex quibus colligere licet, modum conciliandi libertatem cum prædeſtinatione & gratia, beneficio Scientiæ Mediæ, adeo non fuiſſe reprobatum ab Auguſtino, vt potius eiuſdem principiis ſit planè conformis.

Quocirca ad P. Vincentij argumentationē directe reſpondeo, Scientiam Mediam fuiſſe omnino cognitam Auguſtino, eâque S. Doctorem vſum eſſe vt merita conditionata à Semipelagianis inducta refelleret. Modum autem conciliandi prædeſtinationem & gratiam cum libertate arbitrij beneficio Scientiæ Mediæ, diſtinctè & ex profeſſo non tradidiſſe: virtualiter tamen, vt ita loquar, atque implicitè eum approbaſſe, ſtabiliendo principia quibus innititur. 108

Quod ſi quiſpiam inquirat, quid cauſæ ſit cur S. Auguſtinus modum illum non adhibuerit, cum ea ratione Semipelagianorum querelas compeſcere potuiſſet; Reſpondeo ſilentij huius rationem reddendam eſſe P. Vincentio, cum certiſſimè conſtet modum quo ipſe vtitur ad conciliandam libertatem cum gratia, clarè atque diſtinctè ab Auguſtino non fuiſſe traditum. Satis nimirum fuit S. Doctori, Catholica dogmata validis argumentis ex ſcriptura petitis aduerſus Hæreticos ſtabilire, & certa principia tra-

dere, ex quibus deinde aliĳ qui eadem dogmata explananda ſuſciperent, modum haurirent quo poſſunt inter ſe conciliari.

109 Accedit quod nihil erat cauſæ, cur S. Auguſtinus, dum contra Semipelagianos diſputat, de modo conciliandi libertatem cum auxilio diuinæ gratiæ eſſet ſollicitus; cum enim Semipelagiani huius auxilij neceſſitatem admitterent ad alia bona opera exercenda, quæ à fidelibus fiunt: Non minus ipſis quam Auguſtino incumbebat oſtendere, quomodo auxilium diuinæ gratiæ cum libertatis arbitrio cohæreret.

De ſola igitur prædeſtinatione ſeu gratiæ præparatione erat inter Auguſtinum & Semipelagianos controuerſia; hinc enim S. Auguſtinus tanquam fide certum ſtatuebat, præparationem auxiliorum quibus certiſſimè liberantur quicunque liberantur, antecedere omne bonum meritum; tanquam radicem & principium omnis boni meriti: illinc Semipelagiani contendebant hanc gratiæ præparationem fieri à Deo intuitu boni alicuius meriti ſolis naturæ viribus comparati; neque adduci poterant vt illam in Deo voluntatem omne meritum præuertentem admitterent, ſic enim, vt ex ipſis refert Proſper epiſt. ad Auguſt. *& lapſis cura reſurgendi adimitur, & Sanctis occaſio teporis affertur; eo quod in vtramque partem ſuperfluus labor ſit, ſi neque reiectus vllâ induſtriâ poſſit*

intrare, neque electus vllâ negligentiâ poßit excidere, quoquo enim modo ſe egerint, non poſſe aliud erga nos quam Deus definierit accidere.

Hoc autem vt ſoluat S. Doctor, qui me- 110
lius haud dubiè quàm P. Vincentius nouerat, quid reſpondendum eſſet, non recurrit ad Scientiam Mediam, quippe quæ huic Semipelagianorum querelæ compeſcendæ non erat idonea, ſiue enim Scientiam Mediam admittas; ſiue neges, eâdem premeris difficultate, quomodo ſcilicet prædeſtinatio efficax aliquorum ad gloriam, præuiſionem meritorum antecedens, reliquis in maſſa perditionis relictis, lapſis curam reſurgendi non adimat, nec ſanctis afferat occaſionem t eporis; aliam igitur viam init reſpondendi
Doctor ſanctiſſimus lib. de bono perſeuer. 111
cap. 15. vbi ait, *iſta cum dicunt à confitenda prædeſtinatione Sanctorum deterrere non debent; ſicut non deterremur à confitenda præſcientia Dei; ſi quis de illa populo ſic loquatur vt dicat; ſiue nunc rectè viuatis, ſiue non rectè, tales vos eritis poſtea, quales vos Deus futuros eſſe præſciuit, vel boni ſi bonos, vel mali ſi malos. Nunquid enim ſi hoc audito nonnulli in torporem ſegnitiemque vertantur, & à labore procliues ad libidinem, poſt in concupiſcentias ſuas eant, propterea de præſcientia falſum putandũ eſt, quod dictum eſt, nonne ſi Deus illos bonos futuros eſſe præſciuit, boni*

erunt in quantalibet nunc malignitate verſentur: Si autem malos, mali erunt, in quantalibet nunc bonitate cernantur.

Hæc eſt S. Auguſtini reſponſio quæ vt nihil continet quæ faueat Thomiſtarum doctrinæ, ita nihil in eâ traditur à S. Doctore, quod Scientiæ Mediæ repugnet.

CAPVT NONVM.

An vſus Scientiæ Mediæ in concilianda libertate arbitrij cum prædeſtinatione & gratia, ſit Semipelagianorum commentum.

111 MVltum laborat P. Vincentius, vt probet vſum Scientiæ Mediæ in conciliandâ libertate arbitrij cum prædeſtinatione & gratia, eſſe Semipelagianorum commentum. Atque vt eum quem ſibi in hac diſſertatione propoſuit ſcopum, facilius aſſequatur vnum eſt in quo ſtabiliendo omni ope atque operâ enititur: nimirum probare vellet Semipelagianos admiſiſſe auxilij interni & ſupernaturalis neceſſitatem ad ſingulos actus ſalutares, etiam ad initium fidei; nec aliam negaſſe gratiam niſi eam quæ eſt ex ſe efficax & phyſicè prædeterminans: Hanc enim ad initium fidei non requirebât quam-

Digitized by Google

uis ad reliquos actus bonos neceſſariam eſſe concederent.

Atque hoc ita certum eſſe exiſtimat, vt affirmare non dubitet. ſect. 5. art. 5. §. 3. & 4. *mirum eſſe, auſos fuiſſe Recētiores contra fidem totius antiquitatis, & renitentibus Proſpero & Hilario tam craſſum errorem Semipelagianis impingere*, vt velint eos admiſiſſe bonam credendi voluntatem, atque adeo ipſam fidem eſſe ex nobis, independenter ab omni auxilio interno & ſupernaturali diuinæ gratiæ. Verum vt dicam quod ſentio; miſerum eſt Sanctos illos Patres, qui viam Regiam veritatis ſuis veſtigiis impreſſerunt, vt reducere in illam poſſent errantes etiam viatores, ſi veſtigia tam clarè impreſſa intueri & perſequi vellent (vt dicebat Theodoretus) fieri tamen occaſionem à via recta deflectendi; Quid enim clarius apertiuſque dicere poterant & dixerunt, quam in quo ſitus eſſet error Semipelagianorum quos totis viribus oppugnabant: Et tamen aliqui recentiores in præconcepta ſemel opinione tuenda nihil intentatum relinquentes Patrum mentem eò detorquent, vt his ea impingant, quæ neque ſcripſerunt, neque ſcribere cogitarunt, *ſed quid in hoc miremur* (vt cum Facundo Hermianenſi Mocianum refellente loquar) *non melius loqui potuit Auguſtinus & alij, quam Prophetæ, quam Apoſtoli & Euangeliſtæ, quorum ver-*

Digitized by Google

bis ſimiliter malè intellectis & incongruè adhibitis, tam multi ſuos defendere conantur errores.

Quare P. Vincentius tam fœdè prolapſus non eſſet, ſi à rerum illarum fontibus tam claris & perſpicuis haurire maluiſſet, quam lutulentum riuulum conſectari, ſi verum Auguſtinum Epiſtolaſque Hilarij & Proſperi conſuluiſſet, non illum alterum Pſeudo-Auguſtinum Yprenſis Ianſenij qui vt periculoſa dogmata ſua cuderet frui voluit illo (vt appellabat Auguſtinus) priuilegio Manichæorum ſumentium ex eodem libro quæ vellent & ſibi putarent conducere, cætera prætereuntium. Sanè tam dilucide is error à Patribus ſuprà laudatis attribuitur Semipelagianis, vt mirum nimis ſit in hac ſcientiarum luce caligare poſſe Theologum, neque illorum ſenſum peruidere, ſed reuocare in dubium, imo & audenter negare. Horum loca ſubiicio, quibus demonſtratur veterem hanc eſſe ſententiam Semipelagianorum, minimè autem nouum Scholaſticorum commentum, rem ita eſſe cum oſtendero, verè locus erit vſurpandi illud Papæ Cæleſtini apud Vincentium Lirinenſem *deſinat nouitas inceſſere vetuſtatem.*

Agmen igitur agat ipſe Proſper qui cum videret, *in illis Pelagianæ prauitatis reliquiis* (vt ipſe ait) *non mediocris virulentiæ fibram nutriri*, ſtudio indefeſſo illas exſcindere

conatus

conatus eſt, vt de ipſo dicendum ſit, quod ipſe de Auguſtino dixit, in Carmine cõtra Ingratos.
Nam quocunque gradu conuertit callidus hoſtis
Quaque per ambages anceps iter egit opertas
Huius ab occurſu eſt præuentus.

Is igitur in epiſtola ad Auguſtinum, hæc 112
ſcribit de Maſſilienſibus, *Quidam verò horum in tantum à Pelagianis ſemitis non declinant, vt cum ad confitendam eam Chriſti gratiam, quæ omnia præueniat merita humana*, dicant hominem, *ad hanc gratiam quâ in Chriſto renaſcimur, peruenire per naturalem ſcilicet facultatem petendo, quærendo, pulſando; vt ideo accipiat, ideo inueniat, ideo introeat, quia bono naturæ benè vſus, vt ad iſtam ſaluantem gratiam, initialis gratiæ ope, hoc eſt facultatis naturalis*, quam à Deo accepit, *meruerit peruenire.* An non his verbis teſtatur apertè S. Proſper, iuxta Maſſilienſium doctrinam, hominem Chriſti gratiam promereri, & ad eam peruenire, *per facultatem naturalem* liberi arbitrij *petendo, quærendo, pulſando, ita vt ideo eam accipiat, quia bono naturæ bene vſus ad illam meruit peruenire.*

Potuitne clarius eundem errorem illis adſcribere, quam cum in eadem Epiſtola ſic loquitur. *Cùm in his qui tempus acceperunt liberæ voluntatis, duo ſint quæ humanam operentur ſalutem, Dei ſcilicet gratia, & hominis obedientia, priorem volunt obedientiam eſſe quam gratiam, vt initium ſalutis ex eo qui*

Digitized by Google

ſaluatur, non ex eo credendum ſit ſtare qui ſaluat, & voluntas hominis diuinæ gratiæ ſibi pariat opem, non gratia ſibi humanam ſubjiciat voluntatem. Si iuxta Semipelagianos aſſerente Proſpero, ex duobus quæ ſalutem humanam operantur, Dei ſcilicet gratia & hominis obedientia, prior eſt obedientia quam gratia; an non euidens eſt iuxta eorum doctrinam, gratiam Dei non præcedere hominis obedientiam, tanquam eius principium, ſed eam ſubſequi tanquam illius præmium? Si iuxta Eoſdem, initium ſalutis non eſt ex illo qui ſaluat, ſed ex eo qui ſaluatur; ſi gratia Dei non ſubjicit ſibi voluntatem humanam, ſed voluntas hominis ſibi parit opem diuinæ gratiæ: nunquid fatendum eſt hominis voluntatem incipere volendo, petendo, pulſando, atque hoc modo gratiam Dei impetrare.

113 Quid quod idem S. Doctor non ſolum errorem illum Maſſilienſibus tribuit, ſed rationem inſuper reddit ob quam in eum prolapſi ſint. En vt loquitur in eadem epiſtola, *in iſtam vero talis gratiæ prædicationem hi quorum contradictione offendimur, cum prius meliora ſentirent, ideo ſe vel maximè contulerunt; quia ſi profiterentur ab ea, nempe à gratia, omnia bona merita præueniri, & ab ipſa vt poſſint, eſſe donari, neceſſitate concederent Deum ſecundum propoſitum & conſilium voluntatis ſuæ occulto iudicio, & opere manifeſto*

aliud vas condere in honorem, & aliud in contumeliam.

Ergo ſi S. Proſperum audire iuuat, Semipelagiani veriti ne cogerentur admittere Deum ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ aliud vas condere in honorem, aliud in contumeliam, in eam ſe gratiæ prædicationem contulerunt, vt dicerent omnia bona merita hominum ab ea non præueniri; Atque adeò bonum aliquod meritum inueniri poſſe in nobis quod non eſſet ex gratia, ſed ex ſola hominis voluntate: fallitur igitur P. Vincentius, nec S. Proſperum, ſed Ianſenium Yprenſem ſequitur ducem, dum ait Recẽtiores contra fidem totius antiquitatis auſos eſſe tam craſſum errorem Semipelagianis impingere. Etenim ex Proſpero liquet clariſſimè, *inimica illa dogmata*, & vt appellat, *perempti dogmatis extinctas fauillas iterum animatas, Vipereoſque ſenſus* iſtos fuiſſe, eniti fragilitatem humanam conatu proſpero,

Sponte ad cœleſtia ferri
Perque viã ad Chriſtũ quã fecerit ipſa venire.

Hoc eſt primum conficere paſſum, greſſus alios à Deo dirigi & iuuari, excudere primùm ex ſe quaſi ſcintillam bonæ voluntatis, quæ à Spiritu Sancto deinde ventilata magnum & generoſum charitatis ignem accenderet; hoc de illis ſenſit Proſper, hoc dixit, hoc cecinit; & audent aliqui aliò ſententiam eius obtorquere.

Digitized by Google

114 §. Proſpero in omnibus conſonat Hilarius in ſua ad Auguſtinum epiſtola; vbi dum Auguſtino errorem Semipelagianorum exponit, hæc habet, *quod enim dicitur, crede & ſaluus eris, vnum horum exigi aſſerunt, aliud offerri, vt propter id quod exigitur, ſi redditum fuerit, id quod offertur deinceps tribuatur. Vnde non conſequens putant exigendam ab eo fidem, cuius naturæ id voluntate conditoris conceſſum eſt, & nullam ita deprauatam vel extinctam putant, vt non debeat vel poſſit ſe velle ſanari; propter quod vel ſanetur quis à ſua, vel ſi noluerit cum ſua ægritudine puniatur, nec negari gratiam, ſed præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicum quærat*, & Paulo poſt, *nec de hac fide poſſe dici aſſerunt, Quid habes quod non accepiſti, cum in eadē natura remāſerit licet vitiata, quæ prius ſana ac perfecta donata ſit.*

In illis locis apertè docet Hilarius Semipelagianos in eo potiſſimum errore fuiſſe, vt cenſerent nullam naturam ita vitiatam aut corruptam fuiſſe per peccatum vt non poſſit velle ſanari, & credere independenter à gratia; ideoque non poſſe dici de fide, *Quid habes quod non accepiſti?* cum credendi poteſtas in humana natura licet vitiata remanſerit. Falſum eſt igitur & contra manifeſtum S. Hilarij teſtimonium, Semipelagianos admiſiſſe gratiæ internæ & ſupernaturalis neceſſitatem ad eliciendum ſalutis deſiderium & ad credendum; cum illud vtrumque in po-

Digitized by Google

teſtatę naturæ humanæ licet vitiatæ ſitum eſſe docuerint, ſtatuerint non dari hominibus gratiam vt velint ſanari & credere, ſed potius à Deo concedi quia volunt ſanari & credere, ſenſerint lapſam naturam, lapſu illo miſerando non vſque adeo debilitatam, vt animo aſſurgere vtcunque non poſſit, at iacere ſemper cogatur, niſi ſubleuantis ſe gratiæ manum auxiliatricem apprehenderit, quin imo erigere ſeipſam proprio robore, poſtea non deeſſe conanti, opem Dei, qui vt de dijs ſuis ſcribebat Seneca ep. 73. *faſtidioſus non eſt, non inuidus, admittit & aſcendentibus porrigit manum.*

Sed nullus eſt inter Patres qui errorem 115
eundem Semipelagianis aut manifeſtius adſcribat, aut luculentius confutet, quam Auguſtinus. En vt eorum dogma exponit lib. de prædeſtin. SS. c. 2. *Sed nunc eis,* inquit, *reſpondendum eſſe video, qui diuina teſtimonia* quibus nimirum ipſam fidem Dei donum eſſe probauerat, *ad hoc dicunt valere, vt nouerimus, ex nobis quidem nos habere ipſam fidem, ſed incrementum eius ex Deo; tanquam fides non ab ipſo donetur nobis, ſed ab ipſo tantum augeatur in nobis eo merito quo cœpit in nobis.* En vt illud ipſum dogma refellit ibidem dum ait, ſi iuxta Apoſtolum *non ſumus idonei cogitare aliquid ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, profecto non ſumus idonei credere aliquid quaſi ex nobiſme-*

Digitized by Google

dere, ex quibus deinde aliȷ̃ qui eadem dogmata explananda ſuſciperent, modum haurirent quo poſſunt inter ſe conciliari.

109 Accedit quod nihil erat cauſæ, cur S. Auguſtinus, dum contra Semipelagianos diſputat, de modo conciliandi libertatem cum auxilio diuinæ gratiæ eſſet ſollicitus; cum enim Semipelagiani huius auxilij neceſſitatem admitterent ad alia bona opera exercenda, quæ à fidelibus fiunt: Non minus ipſis quam Auguſtino incumbebat oſtendere, quomodo auxilium diuinæ gratiæ cum libertatis arbitrio cohæreret.

De ſola igitur prædeſtinatione ſeu gratiæ præparatione erat inter Auguſtinum & Semipelagianos controuerſia; hinc enim S. Auguſtinus tanquam fide certum ſtatuebat, præparationem auxiliorum quibus certiſſimè liberantur quicunque liberantur, antecedere omne bonum meritum, tanquam radicem & principium omnis boni meriti: illinc Semipelagiani contendebant hanc gratiæ præparationem fieri à Deo intuitu boni alicuius meriti ſolis naturæ viribus comparati; neque adduci poterant vt illam in Deo voluntatem omne meritum præuertentem admitterent, ſic enim, vt ex ipſis refert Proſper epiſt. ad Auguſt. *& lapſis cura reſurgendi adimitur, & Sanctis occaſio teporis affertur; eo quod in vtramque partem ſuperfluus labor ſit, ſi neque reiectus vllâ induſtriâ poſſit*

intrare, neque electus vllâ negligentiâ poſſit excidere, quoquo enim modo ſe egerint, non poſſe aliud erga nos quam Deus deſinierit accidere.

Hoc autem vt ſoluat S. Doctor, qui me- 110
lius haud dubiè quàm P. Vincentius nouerat, quid reſpondendum eſſet, non recurrit ad Scientiam Mediam, quippe quæ huic Semipelagianorum querelæ compeſcendæ non erat idonea, ſiue enim Scientiam Mediam admittas; ſiue neges, eâdem premeris difficultate, quomodo ſcilicet prædeſtinatio efficax aliquorum ad gloriam, præuiſionem meritorum antecedens, reliquis in maſſa perditionis relictis, lapſis curam reſurgendi non adimat, nec ſanctis afferat occaſionem teporis; aliam igitur viam init reſpondendi
Doctor ſanctiſſimus lib. de bono perſeuer. 111
cap. 15. vbi ait, *iſta cum dicunt à confitenda prædeſtinatione Sanctorum deterrere non debent; ſicut non deterremur à confitenda præſcientia Dei; ſi quis de illa populo ſic loquatur vt dicat; ſiue nunc rectè viuatis, ſiue non rectè, tales vos eritis poſtea, quales vos Deus futuros eſſe præſciuit, vel boni ſi bonos, vel mali ſi malos. Nunquid enim ſi hoc audito nonnulli in torporem ſegnitiemque vertantur, & à labore procliues ad libidinem, poſt in concupiſcentias ſuas eant, propterea de præſcientia falſum putandũ eſt, quod dictum eſt, nonne ſi Deus illos bonos futuros eſſe præſciuit, boni*

erunt in quantalibet nunc malignitate verſentur: Si autem malos, mali erunt, in quantalibet nunc bonitate cernantur.

Hæc eſt S. Auguſtini reſponſio quæ vt nihil continet quæ faueat Thomiſtarum doctrinæ, ita nihil in eâ traditur à S. Doctore, quod Scientiæ Mediæ repugnet.

CAPVT NONVM.

An vſus Scientiæ Mediæ in conciliandà libertate arbitrij cum prædeſtinatione & gratiâ, ſit Semipelagianorum commentum.

111 MVltum laborat P. Vincentius, vt probet vſum Scientiæ Mediæ in conciliandâ libertate arbitrij cum prædeſtinatione & gratia, eſſe Semipelagianorum commentum. Atque vt eum quem ſibi in hac diſſertatione propoſuit ſcopum, facilius aſſequatur vnum eſt in quo ſtabiliendo omni ope atque operâ enititur: nimirum probare vellet Semipelagianos admiſiſſe auxilij interni & ſupernaturalis neceſſitatem ad ſingulos actus ſalutares, etiam ad initium fidei; nec aliam negaſſe gratiam niſi eam quæ eſt ex ſe efficax & phyſicè prædeterminans: Hanc enim ad initium fidei non requirebât quam-

Digitized by Google

vis ad reliquos actus bonos neceſſariam eſſe concederent.

Atque hoc ita certum eſſe exiſtimat, vt affirmare non dubitet. ſect. 5. art. 5. §. 3. & 4. *mirum eſſe, auſos fuiſſe Recĕtiores contra fidem totius antiquitatis, & renitentibus Proſpero & Hilario tam craſſum errorem Semipelagianis impingere*, vt velint eos admiſiſſe bonam credendi voluntatem, atque adeo ipſam fidem eſſe ex nobis, independenter ab omni auxilio interno & ſupernaturali diuinæ gratiæ. Verum vt dicam quod ſentio; miſerum eſt Sanctos illos Patres, qui viam Regiam veritatis ſuis veſtigiis impreſſerunt, vt reducere in illam poſſent errantes etiam viatores, ſi veſtigia tam clarè impreſſa intueri & perſequi vellent (vt dicebat Theodoretus) fieri tamen occaſionem à via recta deflectendi; Quid enim clarius apertiuſque dicere poterant & dixerunt, quam in quo ſitus eſſet error Semipelagianorum quos totis viribus oppugnabant: Et tamen aliqui recentiores in præconcepta ſemel opinione tuenda nihil intentatum relinquentes Patrum mentem eò detorquent, vt his ea impingant, quæ neque ſcripſerunt, neque ſcribere cogitarunt, *ſed quid in hoc miremur* (vt cum Facundo Hermianenſi Mocianum refellente loquar) *non melius loqui potuit Auguſtinus & alij, quam Prophetæ, quam Apoſtoli & Euangeliſtæ, quorum ver-*

bis ſimiliter malè intellectis & incongruè, adhibitis, tam multi ſuos defendere conantur errores.

Quare P. Vincentius tam fœdè prolapſus non eſſet, ſi à rerum illarum fontibus tam claris & perſpicuis haurire maluiſſet, quam lutulentum riuulum conſectari, ſi verum Auguſtinum Epiſtolaſque Hilarij & Proſperi conſuluiſſet, non illum alterum Pſeudo-Auguſtinum Yprenſis Ianſenij qui vt periculoſa dogmata ſua cuderet frui voluit illo (vt appellabat Auguſtinus) priuilegio Manichæorum ſumentium ex eodem libro quæ vellent & ſibi putarent conducere, cætera prætereuntium. Sanè tam dilucide is error à Patribus ſuprà laudatis attribuitur Semipelagianis, vt mirum nimis ſit in hac ſcientiarum luce caligare poſſe Theologum, neque illorum ſenſum peruidere, ſed reuocare in dubium, imo & audenter negare. Horum loca ſubiicio, quibus demonſtratur veterem hanc eſſe ſententiam Semipelagianorum, minimè autem nouum Scholaſticorum commentum, rem ita eſſe cum oſtendero, verè locus erit vſurpandi illud Papæ Cæleſtini apud Vincentium Lirinenſem *deſinat nouitas inceſſere vetuſtatem.*

Agmen igitur agat ipſe Proſper qui cum videret, *in illis Pelagianæ prauitatis reliquiis* (vt ipſe ait) *non mediocris virulentiæ fibram nutriri*, ſtudio indefeſſo illas exſcindere conatus

Digitized by Google

conatus eſt, vt de ipſo dicendum ſit, quod ipſe de Auguſtino dixit, in Carmine cōtra Ingratos.

Nam quocunque gradu conuertit callidus hoſtis
Quaque per ambages anceps iter egit opertas
Huius ab occurſu eſt preuentus.

Is igitur in epiſtola ad Auguſtinum, hæc ſcribit de Maſſilienſibus, *Quidam verò horum in tantum à Pelagianis ſemitis non declinant, vt cum ad confitendam eam Chriſti gratiam, quæ omnia preueniat merita humana*, dicant hominem, *ad hanc gratiam quâ in Chriſto renaſcimur, peruenire per naturalem ſcilicet facultatem petendo, quærendo, pulſando; vt ideo accipiat, ideo inueniat, ideo introeat, quia bono naturæ benè vſus, vt ad iſtam ſaluantem gratiam, initialis gratiæ ope, hoc eſt facultatis naturalis*, quam à Deo accepit, *meruerit peruenire.* An non his verbis teſtatur apertè S. Proſper, iuxta Maſſilienſium doctrinam, hominem Chriſti gratiam promereri, & ad eam peruenire, *per facultatem naturalem* liberi arbitrij *petendo, quærendo, pulſando, ita vt ideo eam accipiat, quia bono naturæ bene vſus ad illam meruit peruenire.* 112

Potuitne clarius eundem errorem illis adſcribere, quam cum in eadem Epiſtola ſic loquitur. *Cum in his qui tempus acceperunt liberæ voluntatis, duo ſint quæ humanam operentur ſalutem, Dei ſcilicet gratia, & hominis obedientia, priorem volunt obedientiam eſſe quam gratiam, vt initium ſalutis ex eo qui*

ſaluatur, non ex eo credendum ſit ſtare qui ſaluat, & voluntas hominis diuinæ gratiæ ſibi pariat opem, non gratia ſibi humanam ſubjiciat voluntatem. Si iuxta Semipelagianos aſſerente Proſpero, ex duobus quæ ſalutem humanam operantur, Dei ſcilicet gratia & hominis obedientia, prior eſt obedientia quam gratia; an non euidens eſt iuxta eorum doctrinam, gratiam Dei non præcedere hominis obedientiam, tanquam eius principium, ſed eam ſubſequi tanquam illius præmium? Si iuxta Eoſdem, initium ſalutis non eſt ex illo qui ſaluat, ſed ex eo qui ſaluatur; ſi gratia Dei non ſubjicit ſibi voluntatem humanam, ſed voluntas hominis ſibi parit opem diuinæ gratiæ: nunquid fatendum eſt hominis voluntatem incipere volendo, petendo, pulſando, atque hoc modo gratiam Dei impetrare.

113 Quid quod idem S. Doctor non ſolum errorem illum Maſſilienſibus tribuit, ſed rationem inſuper reddit ob quam in eum prolapſi ſint. En vt loquitur in eadem epiſtola, *in iſtam vero talis gratiæ prædicationem hi quorum contradictione offendimur, cum prius meliora ſentirent, ideo ſe vel maximè contulerunt; quia ſi profiterentur ab ea, nempe à gratia, omnia bona merita præueniri, & ab ipſa vt poſſint, eſſe donari, neceſſitate concederent Deum ſecundum propoſitum & conſilium voluntatis ſuæ occulto iudicio, & opere manifeſto*

Digitized by Google

aliud vas condere in honorem, & aliud in contumeliam.

Ergo ſi S. Proſperum audire iuuat, Semipelagiani veriti ne cogerentur admittere Deum ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ aliud vas condere in honorem, aliud in contumeliam, in eam ſe gratiæ prædicationem contulerunt, vt dicerent omnia bona merita hominum ab ea non præueniri; Atque adeò bonum aliquod meritum inueniri poſſe in nobis quod non eſſet ex gratia, ſed ex ſola hominis voluntate: fallitur igitur P. Vincentius, nec S. Proſperum, ſed Ianſenium Yprenſem ſequitur ducem, dum ait Recẽtiores contra fidem totius antiquitatis auſos eſſe tam craſſum errorem Semipelagianis impingere. Etenim ex Proſpero liquet clariſſimè, *inimica illa dogmata*, & vt appellat, *perempti dogmatis extinctas fauillas iterum animatas, Vipereoſque ſenſus* iſtos fuiſſe, eniti fragilitatem humanam conatu proſpero,

Sponte ad cœleſtia ferri
Perque viã ad Chriſtũ quã fecerit ipſa venire.

Hoc eſt primum conficere paſſum, greſſus alios à Deo dirigi & iuuari, excudere primûm ex ſe quaſi ſcintillam bonæ voluntatis, quæ à Spiritu Sancto deinde ventilata magnum & generoſum charitatis ignem accenderet; hoc de illis ſenſit Proſper, hoc dixit, hoc cecinit; & audent aliqui aliò ſententiam eius obtorquere.

Digitized by Google

teſtate naturæ humanæ licet vitiatæ ſitum eſſe docuerint, ſtatuerint non dari hominibus gratiam vt velint ſanari & credere, ſed potius à Deo concedi quia volunt ſanari & credere, ſenſerint lapſam naturam, lapſu illo miſerando non vſque adeo debilitatam, vt animo aſſurgere vtcunque non poſſit, at iacere ſemper cogatur, niſi ſubleuantis ſe gratiæ manum auxiliatricem apprehenderit, quin imo erigere ſeipſam proprio robore, poſtea non deeſſe conanti, opem Dei, qui vt de dijs ſuis ſcribebat Seneca ep. 73. *faſtidioſus non eſt, non inuidus, admittit & aſcendentibus porrigit manum.*

Sed nullus eſt inter Patres qui errorem 115
eundem Semipelagianis aut manifeſtius adſcribat, aut luculentius confutet, quam Auguſtinus. En vt eorum dogma exponit lib. de prædeſtin. SS. c. 2. *Sed nunc eis*, inquit, *reſpondendum eſſe video, qui diuina teſtimonia* quibus nimirum ipſam fidem Dei donum eſſe probauerat, *ad hoc dicunt valere, vt nouerimus, ex nobis quidem nos habere ipſam fidem, ſed incrementum eius ex Deo; tanquam fides non ab ipſo donetur nobis, ſed ab ipſo tantum augeatur in nobis eo merito quo cœpit in nobis.* En vt illud ipſum dogma refellit ibidem dum ait, ſi iuxta Apoſtolum *non ſumus idonei cogitare aliquid ex nobismetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, profecto non ſumus idonei credere aliquid quaſi ex nobisme-*

Digitized by Google

tipſis, quod ſine cogitatione non poſſumus, ſed ſufficientia noſtra quâ credere incipimus ex Deo eſt.

Ita S. Doctor ex cuius verbis ſic arguitur, ſi Semipelagiani non exiſtimaſſent hominem poſſe ſuis viribus velle & credere ſicut oportet ad ſalutem, neque ad hoc indigere auxilio diuinæ gratiæ, hoc eſt Spiritus Sancti illuminatione & inſpiratione interna, peſſimè ſane contra illos argumentatus fuiſſet S. Auguſtinus ex illo Apoſtoli loco, *non ſumus idonei cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Reſpondiſſent enim continuo cum Patre Vincentio, *mirum eſſe* tantum doctorem *auſum eſſe renitentibus Proſpero & Hilario, tam craſſum errorem ipſis impingere*, quaſi dicerent hominem non indigere interno auxilio diuinæ gratiæ ad credendum abſque Dei adiutorio, cum tamen ipſos ab ijs calumniis vindicent Hilarius & Proſper.

116 Præterea idem ſanctus Auguſtinus eiuſdem libri cap. 3. & 4. fatetur in eodem ſe olim cum Semipelagianis errore fuiſſe, illum porro c. 3. hunc in modum exponit. *Quo teſtimonio, Quid habes quod non accepiſti, etiam conuictus ſum cum ſimiliter errarem, putans fidem qua in Deum credimus non eſſe donum Dei, ſed a nobis eſſe in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona quibus temperanter, & piè, & iuſtè viuamus in hoc ſæculo. Neque enim fidem pu-*

Digitized by Google

tabam Dei gratiâ praueniri, vt per illam nobis daretur quod poſceremus vtiliter, niſi quia credere non poſſemus ſi non præcederet præconium veritatis. Vt autem prædicato nobis Euangelio conſentiremus & nobis ex nobis eſſe arbitrabar.

Ecce *craſſum illum errorem* vt ait P. Vincen. quem *Recẽtiores auſi ſunt Semipelagianis impingere*, & ſibi ipſi & Semipelagianis tribuit Doctor Sanctiſſimus, fidem ſcilicet quâ credimus Deum, *non eſſe donum Dei, ſed à nobis eſſe* in nobis, non præueniri gratia Dei ſed per eam Dei dona atque adeò ipſam gratiam, quæ maximum Dei donum eſt *impetrari*, homines ad credendum ſola Euangelij prædicatione indigere, vt autem prædicato Euangelio conſentiamus & nobis & ex nobis eſſe.

Pergit S. Doctor, errorem in quo cum Semipelagianis olim fuerat, ibidem explanare, dum ait, alias dixiſſe ſe [7], *quod credimus noſtrum eſt, quod autem operamur, bonum illius eſt qui credentibus dat Spiritum Sanctum: Noſtrum eſt credere & velle; illius autem dare credentibus & volentibus facultatem bene operandi per Spiritum Sanctum.* En clariſſimis verbis expreſſum errorem craſſum quem Semipelagianis inpingimus. Docebant nimirum quod olim verum eſſe putauerat Auguſtinus, *noſtrum eſſe velle & credere*, quia ad volendum & credendum ſum us ex nobis

Digitized by Google

idonei, per eam autem fidem impetrari *facultatem bene operandi, hoc eſt temperanter, iuſtè & piè viuendi in hoc ſæculo.*

117 Accedit quod Patres Concilij Arauſicani, quod eo tempore quo maximè vigebat Semipelagianorum hæreſis aduerſus eam congregatum eſt, eundem errorem fuiſſe ab ipſis traditum, vt rem omnibus notam & penitus exploratam ſupponunt, dum eum ſuis Canonibus, præſertim, tertio, quinto, ſexto & ſeptimo configunt. Ibi enim damnant eos qui dicunt, *gratiam Dei conferri humanâ inuocatione, non autem ipſam gratiam facere vt inuocetur à nobis Deus, initium fidei, ipſumque credulitatis affectum, non per gratiæ donum, id eſt per inſpirationem Spiritus Sancti, ſed naturaliter nobis ineſſe ſine Dei gratia, credentibus, volentibus, deſiderantibus, petentibus & quærentibus: nobis miſericordiam conferri diuinitus, non autem vt credamus & velimus, vel hæc omnia ſicut oportet agere valeamus, per infuſionem & inſpirationem Spiritus Sancti in nobis fieri per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet, cogitare vt expedit & eligere, ac Euangelicæ prædicationi conſentire abſque illuminatione & inſpiratione Spiritus Sancti.*

Quorſum autem in eo errore damnando, qui modis tam diuerſis exprimitur, Patres illi tempus & operam impendiſſent, ſi eo tempore non extitiſſent huius hæreſis hic contacti

&

Digitized by Google

& prauitatis obſtinati defenſores. Sed eſſent tantùm poſt multa ſæcula futuri, qui tam craſſum errorem Maſſilienſibus impingerent *contra fidem totius antiquitatis.* Fatendum igitur eſt,in Galliis extitiſſe aliquos tempore Concilij Arauſicani ſecundi qui eum propugnarent errorem qui tribuitur Maſſilienſibus ; Hos autem poſt SS Auguſtinum, Proſperum Hilariumque, Maſſilienſes quia Maſſiliæ primum hic error defendi cœpit,aut Semipelagianos vocamus.

Nec illi peſtilentes Hæretici fuere damnati antequam nati, vel animus Concilij Arauſicani fuit, malo quondam graſſaturo iam tunc occurrere ac ſalubrem prouidere medicinam, ſed illud præſens latèque ſerpens voluit perſanare atque funditus tollere reſiduos illos *in quorum detruncationibus*, ait Proſper, *Hæreſis Pelagiana palpitaret* quique non minus malitiosè quam ipſa *impietatum venenis viſcera Eccleſiæ atque ipſa vitalia corporis Chriſti vellent occupare,*

Quapropter tantum abeſt vt *contra fidem totius antiquitatis* dicamus aliquid, quin potius per nos ſuus conſtat honor antiquitati & *venerabilem illam* (vt appellabat Baſilius in lib. de Spir. San.) *veritatis canitiem*, vt debemus ita magnopere reueremur. Auguſtino enim, Proſpero, Hilario vnanimi docentibus conſenſu diſcimus, Arauſicanæ Synodi Patribus aſſerentibus credentes ſu-

Digitized by Google

ſtinemus, hunc erraſſe Semipelagianos errorem vt crederent, in negotio ſalutis humanæ à nudo arbitrio incipere cupiditatem boni (verba ſunt Auguſtini) quod meritum ita cœptum perficiendi gratia deinde conſequeretur, id eſt, vt loquitur Concilium Arauſicanum, abſque vlla interna & ſupernaturali *Spiritus Sancti illuminatione* ad volendum, credendum, petendum & pulſandum ſicut oportet ad ſalutem, homo ſuam ordiretur ſalutem, illius Dei templi quod eſt ipſe iuſtus, prima poneret fundamenta, cætera Deus ipſe ſuperponeret omnia, & humana voluntas ſolis naturæ adiuta præſidiis aliquid feliciter conata, ſuum illum conatum Deo petenti offerret veluti *anſulam quam gratia prehenderet*, ſicut exprimebat Fauſtus, & deinde ad ſuperiora eueheret (necdum enim gratiæ prædeterminantis affirmatio aut negatio cuiquam viuentium in mentem venerat.) Hanc veritatem liquidò compeririſſet P. Vincentius ſi videre voluiſſet, nec ita exorbitaſſet à vero & communi tramite, ſi per Priorum veſtigia incedens, viaque vſus vetere, propiore ac planiore, ſequutus eſſet ducem Auguſtinum, non Yprenſem at Hipponenſem, non fucum illum ſed *iſtam Dei apem artificioſam* (vt loquitur Seuerus ad Aug. ſcribens) *inſtruentem fauos illos diuini nectaris plenos, manantes miſericordiam & veritatem.*

Digitized by Google

Præter totius antiquitatis fidem, quam ſtare à nobis contra P. Vincentium ex iis quæ retuli, manifeſtè conficitur, non deſunt inſuper argumenta quibus hoc ipſum facilè queat aduerſus eumdem euinci.

Primum enim, ſi verum eſt quod tradit 118
hic Author, Semipelagianos admiſiſſe auxilium diuinæ gratiæ eſſe ad ſingulos actus ſalutares neceſſarium, etiam ad volendum, credendum, & petendum ſicut oportet ad ſalutem, nec aliud internæ gratiæ genus ab iis fuiſſe negatum, niſi auxilium ex ſe efficax ſeu phyſicè prædeterminans; Errauit igitur ſummus Pontifex Innocentius X. quando publicâ atque ab vniuerſa Eccleſia receptâ conſtitutione hanc Cornelij Ianſenij Yprenſis Epiſcopi propoſitionem damnauit vt falſam atque Hæreticam, *Semipelagiani admittebant præuenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant Hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare.*

Etenim iuxta P. Vincentium prima propo- 119
ſitionis damnatæ pars ita vera eſt, vt mirum ſit *recentiores auſos eſſe Semipelagianis oppoſitum errorem impingere contra fidem totius antiquitatis*; immeritò igitur & contra totius antiquitatis fidem, eam ſummus Pontifex ſua conſtitutione proſcripſit.

Quod ſpectat ad partem alteram damna-

Digitized by Google

tæ propoſitionis, contendit P. Vincentius Semipelagianorum errorem circa gratiam in hoc poſitum eſſe, quod neceſſitatem auxilij phyſicè prædeterminantis ad initium fidei non admitterent, at cum auxilium phyſicè prædeterminans ſit ex ſe indefectibile, hoc eſt, huiuſmodi vt non ſit in poteſtate voluntatis humanæ impedire quominus habeat effectum ad quem datur, profectò tale eſt, vt nō ſit in poteſtate volūtatis illi reſiſtere aut diſſentire; quid enim eſt aliud auxilio gratiæ reſiſtere aut diſſentire, quam impedire ne habeat effectum ſuum? Ergo ſi non eſt in poteſtate voluntatis impedire, quominus auxilium phyſicè prædeterminans habeat effectum ſuum, non eſt in eius poteſtate huic reſiſtere aut diſſentire.

Quapropter ſi in hoc errarunt Semipelagiani, vt cenſet P. Vincentius, quod negauerint auxilium phyſicè prædeterminans eſſe neceſſarium ad initium fidei: conſequens eſt eos in hoc erraſſe, quod non admiſerint neceſſitatem gratiæ ad credendum, quæ ſit eiuſmodi vt non ſit in poteſtate voluntatis huic reſiſtere aut obtemperare, & tamen hoc eſt illud ipſum quod à ſummo Pontifice tanquam falſum atque Hæreticum damnatum eſt: Aut igitur propoſitio Ianſenij à ſummo Pontifice rectè damnata non fuit, quod dici nequit ſine ludibrio religionis; Aut deceptus eſt vehementer Author iſte, dum

ſenſum legitimum Auguſtini in Ianſenij commentariis quærere maluit vbi non eſt, quam in ipſis operibus Auguſtini vbi repe-riſſet, ſi tam ſedulò indagaſſet quam æquus ille veritatis æſtimator qui vt iudicium face-ret ac veritatem. *Cauſam quam non nouerat diligentiſſimè inueſtigabat.*

Neque tantùm Ianſenio impensè hac 120
in parte fauet P. Vincent. Semipelagianorum quos videtur auerſari, ſuſcipit patrocinium, quaſi aut indefenſi aut inauditi ſceleſto & crudeli iudicio condemnati eſſent: Ita vt iam mirandum occurrat cum Proſpero, quoſdam *eiuſmodi, vt nec ordo, nec ingenia eorum in Eccleſia deſpicienda videantur, eiectis extra ouile Dominicum Lupis ſuffragari.* Etenim etiam ſuſpicionem erroris ab illis auertit, quod fieri non poteſt, quin accuſentur iniuſtitiæ illi Patres, qui Zozimi Papæ monitis in cauſa Pelagij, obſecuti in cauſa Semipelagianorum, nempe *non omnem qui aures ingreditur ventum eſſe nuntium veri, animo Præſule ac in excubiis conſtituto viderunt*, quodnam eſſet illud dogma peruerſum: hoc illum facere ſic oſtendo.

Si audimus illũ; Semipelagiani omne gratię internę genus admiſerũt, excepto auxilio gratiæ phyſicè prædeterminãte; ergo ab Eccleſia damnati non ſunt tanquam Hæretici ob negatam diuinæ gratiæ neceſſitatem, niſi damnati ſint propterea quod negauerint auxi-

lium phyſicè prædeterminans eſſe ad credendum neceſſarium; atqui certum eſt eos propterea non fuiſſe Hæreticos ab Eccleſia damnatos: alioquin Eccleſia vetus damnaſſet Hæreſeos illud ipſum dogma quod Eccleſia præſens non ſolum damnari vetat ſub grauiſſimis pœnis, ſed liberum etiam relinquit, vt publicè in omnibus Catholicis Academiis tanquam verum atque Catholicum propugnetur.

Ergo vel Eccleſia præſentis temporis non idem ſentit quod vetus Eccleſia, in re grauiſſima quæ ſpectat ad fidem quod, fateri tam nefas eſt, vt *propoſitio iuxta Apocalypſim ſcriptas habeat in fronte Blaſphemias* ſicut dicebat Ennodius; vel Semipelagiani ab Eccleſia veteri tanquam Hæretici damnati non ſunt, ob negatam gratiæ neceſſitatem; ſi verum eſt eos non aliam negaſſe gratiam niſi phyſicè prædeterminantem; cum eam per Eccleſiæ decreta negare liceat abſque ſuſpicione erroris.

Confirmatur. Si Eccleſia Catholica ſemel damnauit aliquod dogma tanquam Hæreticum, non poteſt deinceps permittere vt à ſuis Theologis propugnetur tanquam verum atque Catholicum; hæc enim permiſſio eſſet veluti tacita præteritæ damnationis retractatio; poteſt quidem Eccleſia præmiſſo diligenti examine dogma illud tanquam Hæreticum hodie damnare, quod

olim patiebatur à ſuis doctoribus propugnari tanquam Catholicum, cum nondum ad examen vocatum eſſet; in hoc enim nulla eſt ſententiæ ab ipſa ſemel prolatæ in materia fidei retractatio, cum nullam ante protulerit: Permittere autem vt tanquam Catholicum propugnetur à ſuis quod olim ipſa præmiſſo diligenti examine reiecit atque damnauit tanquam Hæreticum, haudquaquam poteſt; ſic enim prolatam ſemel à ſe ſententiam in materia fidei, tacitè ſaltem retractatet, quod de Eccleſia quæ firmamentum & columna eſt veritatis dici non poteſt. Neque illa Petri nauis vmquam inani doctrinæ vento circumfertur, nunc in hanc partem, nunc in alteram, vt modo probet vnum tanquam verum, modo reprobet tanquam falſum & ſuſpectum.

Atqui Eccleſia non ſolum permittit vt auxilium phyſicè prædeterminans palam ac publicè reiiciatur à ſuis doctoribus, ſed vetat inſuper ſub grauiſſimis pænis, eos qui illud reiiciunt Hæreſeos aut erroris damnari, ergo Eccleſia neminem vmquam damnauit Hæreſeos ob negatam auxilij phyſicè prædeterminantis neceſſitatem ad credendum, ergo cum certum ſit ab ea damnatos fuiſſe Semipelagianos, ob negatam ab ipſis gratiæ neceſſitatem ad credendum; concludendum eſt eos neceſſitatem internæ gratiæ ad credendum abſolutè negaſſe, & in eo fuiſſe er-

Digitized by Google

ræ vt dicerent, poſſe hominem ſolis naturæ viribus credere in Deum ſicut oportet ad ſalutem, quod tanquam Hæreticum meritò ab Eccleſia damnatum eſt.

121 Præterea ſi Semipelagiani admiſiſſent gratiæ interioris neceſſitatem ad initium fidei, coacti fuiſſent fateri prædeſtinationem ab Auguſtino traditam, per quam præparantur auxilia gratiæ, quibus certiſſimè liberentur quicunque liberantur, eſſe omnino gratuitam & independentem ab omni merito præcedenti; quod tamen admittere maximè refugiebant, ſic enim putabant, & lapſis curam reſurgendi adimi, & ſanctis teporis occaſionem afferri.

Sequela vero ſic demonſtratur, Prædeſtinatio ſeu præparatio gratiæ eſt omnino gratuita, & ex mera Dei miſericordia, ſi omne hominis meritum antecedit vt omnis meriti principium: at ſi nullum prorſus eſt meritum quod non ſit ex gratia, præparatio gratiæ præcedit omne omnino meritum, cum præcedat donationem gratiæ, quæ eſt principium proximum omnis meriti. Ergo ſi Semipelagiani nullum admittant meritum quod non ſit ex gratia, confiteri coguntur prædeſtinationem ſeu præparationem gratiarum cum quibus certiſſimè liberantur, quicunque liberantur, eſſe planè gratuitam, & ex mera Dei miſericordia profectam.

Ac

Digitized by Google

Ac ne quis fortè ad meritum conditionatum recurrat, probandum eſt mihi ad id confugere Semipelagianos non poſſe, ſi, vt contendit P. Vincentius, nullum admittant meritum, quod non ſit effectus diuinæ gratiæ.

Etenim ſicut Deus videt per Scientiam Mediam Petrum ex c. crediturum, ſi tali gratiæ auxilio præueniatur, & Paulum non crediturum, ſi ſimili auxilio præueniatur, ita videt eundem Petrum non crediturum, ſi alio gratiæ auxilio præueniatur, & Paulum è contrario crediturum ſi alio præueniretur auxilio; ergo quod Deus præparet ſeu decernat vni ex illis dare auxilium gratiæ cum quo videt crediturum, potius quam aliud cum quo non crederet, merè gratuitum eſt, & ex ſola Dei miſericordia profectum, quam tamen non exercet erga alium, cui tantùm tribuit auxilia cum quibus videt non crediturum, atque ita independenter à meritis aliud vas condit in honorem & aliud in contumeliam, quod admittere Maſſilienſes tantòpere refugiebant.

Concludendum igitur eſt, aut Semipelagianos admittere debuiſſe hominum prædeſtinationem ad ſalutem, eſſe omnino gratuitam, vt contendebat Auguſtinus, quod tamen admittere recuſabant; aut aliquod bo-

Digitized by Google

num meritum admiſiſſe, quod fieret ſolis naturæ viribus, abſque vllo auxilio diuinæ gratiæ, quem demum errorem maluerunt amplecti, quam traditam ab Auguſtino prædeſtinationem gratiæ cum Catholicis propugnare.

122 Accedit quod nihil prorſus adducit in medium P. Vincentius, quo Semipelagianos liberet ab eo errore, qui ipſis tribuitur à Theologis recentioribus poſt Proſperum, Hilarium, Auguſtinum & Concilium Arauſicanum.

Ac primò quidem quod ex Epiſt. Proſperi refert, vbi dicitur, *penè omnium par inueni-tur & vna ſententia, quâ propoſitum & prædeſtinationem Dei ſecundum præſcientiam receperunt, vt ob hoc Deus alios vaſa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem vniuſcuiuſque præuiderit, & ſub ipſo gratiæ adiutorio, in qua futurus eſſet voluntate & actione præſciuit.* Non ſpectat ad Semipelagianos ſed ad Patres antiquos. Hi quippe vnanimi penè conſenſu docent, abſolutam prædeſtinationem hominum ad gloriam præſupponere præuiſionem abſolutam meritorum & perſeuerantiæ finalis in ſtatu iuſtitiæ. Quâ Patrum doctrinâ cum Semipelagiani abuterentur & ex ea probari contenderent, præparationem gratiæ fieri à Deo ex præuiſione meriti alicuius per proprias naturæ vires comparati. Hinc factum eſt, vt S. Proſper ſcripſerit ad Auguſti-

Digitized by Google

num, eumque rogauerit vt demonſtraret quomodo explananda eſſet illa Patrum veterum doctrina, qui de prædeſtinatione Dei ſic diſputant, vt cenſeant Deum ob hoc, alios vaſa honoris, alios contumeliæ facere, quia finem vniuſcuiuſque præuidet, & ſub ipſo gratiæ adiutorio in qua quiſque futurus eſſet voluntate & actione præſciuit.

Ac quamuis S. Proſper iſtud de Semipelagianis dixiſſet, inde tamen ne probabiliter quidem colligi poſſet, eos admiſiſſe gratiæ interioris neceſſitatem ad credendum; nam hæc verba *ſub ipſa gratiæ adiutorio*, ſignificant quidem eos de quibus hic loquitur Proſper agnoſcere Deum præſcire in qua quiſque voluntate & actione futurus ſit ſub gratiæ, quæ illi tribuitur adiutorio. Verum his verbis ſignificari adiutorium gratiæ eſſe neceſſarium ad fidem. Hoc eſt quod P. Vincentius nullo modo probare poteſt.

Primam reſponſionem reiicit P. Vincen- 123
tius vt *parum tutam & Auguſtino iniuriam* art. 6. §. 9. quia inquit ſi catholica eſt prædeſtinatio quæ nititur præſcientiâ, *perperam ab Auguſtino exagitatur vt hæretica; & ſuſpectus hæreſis potius eſſet ipſe quam eius aduerſarij.*

Verum vt video, aut vim huius reſponſionis Author iſte non percipit, aut ſe percepiſſe diſſimulat: Neque enim eò ſpectat data reſponſio vt Semipelagianorum de prædeſtina-

tione ſententiam muniat antiquorum Patrum ſuffragiis; abſit enim à nobis tam abſurda, & tam indigna cogitatio. Vnum eſt quod ea reſponſione contendimus, ſcilicet D. Proſperum eo loco de Patribus Auguſtino antiquioribus loqui atque aſſerere vnam penè omnium ac parem inueniri ſententiam, quâ ſtatuunt abſolutam hominum prædeſtinationem ad gloriam præſupponere præſcientiam abſolutam meritorum ac perſeuerantiæ finalis in bono.

Atque hanc ſententiam quam noſtro etiam hoc ſæculo inter doctores Catholicos tuentur non pauci, nuſquam exagitat Auguſtinus tanquam hæreticam, vt falsò ſupponit P. Vincentius, quamuis autem Semipelagiani Patres antiquos in ſuas partes pertrahere niterentur; Eorum tamen dogma de prædeſtinatione plurimùm diſcrepat ab illa quam retuli veterum Patrum doctrinâ; Illi quippe in hoc vnum præcipuè incumbunt, vt ſtatuant prædeſtinationem gratiæ, hoc eſt præparationem gratiarum ſeu auxiliorum, quibus certiſſimè liberantur quicunque liberantur, niti præſcientiâ boni meriti ſolis naturæ viribus comparati; ita vt quando vni præparantur auxilia gratiæ, quibus certiſſimè liberatur, & non alteri, id ex eo oriatur quod vnus & non alter bono naturæ bene vſus, tali prædeſtinatione ſe dignū exhibeat.

Sed valde procul abſunt ab hoc errore Pa-

tres antiqui, quotquot ea de re diſſerunt, omnes cum Auguſtino agnoſcunt prædeſtinationem gratiæ ſeu præparationem mediorum quibus certiſſimè liberantur, quicunque, liberantur, eſſe omnino gratuitam & independentem ab omni bono merito; cum ipſa potius ſit principium & radix omnis boni meriti.

Neque verò magis fauet ſcopo P. Vincen- 124
tij locus alter S. Proſperi, vbi exponens Semipelagianorum ſententiam, ait, *qui autem credituri ſunt, quique in ea fide quæ deinceps per Dei gratiam ſit iuuanda manſuri ſunt, præſciſſe ante mundi conſtitutionem Deum, & eos prædeſtinaſſe in regnum ſuum quos gratis vocatos dignos futuros electione de hac vita bono fine exceſſuros eſſe prauiderit.*

Etenim locus ille apertè demonſtrat iuxta Semipelagianos, eos qui credere incipiunt factâ Euangelij prædicatione, per ſolas naturæ vires credere in Deum, & hanc illorum fidem iuuari deinceps per Dei gratiam. Quod ſi quiſpiam contendat per hæc verba, *quos gratis vocatos*, intelligi auxilium internum diuinæ gratiæ, omninò aberrat à Proſperi mente: Ibi namque nomine vocationis intelligit externam Euangelij prædicationem per quam hominibus vniuerſis propitiatio quæ eſt in ſacramento ſanguinis Chriſti ſine exceptione proponitur.

Ac quoniam P. Vincentius ex illo Proſ- 125

Digitized by Google

peri loco videtur velle colligere, prædicationem externam Euangelij ſecundum Semipelagianos gratis decerni à Deo independenter à præſcientia boni meriti ſolis naturæ viribus comparati; monendus eſt eum non ſatis attentè legiſſe epiſtolam S. Proſperi; nam ſi eam attentiùs legiſſet, continuò intellexiſſet non omnes Semipelagianos idem omnino ſenſiſſe: Si quidem inter illos aliqui ſtatuebant per externam prædicationem Euangelij, omnino gratis atque ex mero Dei beneplacito vniuerſis hominibus proponi propitiationem in Sacramento Sanguinis Chriſti, & in hoc cum Catholicis conueniebant; Errabant autem in eo quod cenſerent facta Euangelij prædicatione poſſe hominem credere ſolis naturæ viribus abſque auxilio diuinæ gratiæ. In quo errore ſe fuiſſe teſtatur Auguſtinus lib. de prædeſt. SS. cap. 3.

Alij autem non ſolum aſſerebant gratiam internam hominibus dari intuitu fidei per ſolas naturæ vires elicitæ. In quo cum prioribus errabant; ſed etiam errorem ex errore nectendo ſtatuebant ipſam Euangelij prædicationem non eſſe gratuitam, ſed fieri ex præſcientia boni meriti conditionatè futuri. Quem errorem proponit S. Proſper Auguſtino cum ait, *hanc ſanè de humanis meritis præſcientiam Dei multo ſibi rationabiliùs videntur adſtruere, cum ad earum nationum contemplationem venitur, quæ vel in præteritis*

Digitized by Google

ſæculis, &c. In eo enim loco, quem integrum referre ſuperuacaneum fuerit, apertè docet Proſper, iuxta aliquos Semipelagianos ideo aliquibus prædicari Euangelium, & non alijs, quia illi *prauiſi ſunt à Domino credituri, alios vero ideo Euangelium non audiuiſſe, quia nec fuerant recepturi.*

Sed inſtat & vrget P. Vincentius, Semipelagiani admiſerunt omne auxilium poſſibilitatis etiam ad initium fidei: Atqui auxilium poſſibilitatis includit omne auxilium internum diuinæ gratiæ, quod diſtinguitur ab *auxilio quo*, de quo diſſerit Auguſtinus lib. de corrept. & grat. cap. 11. & 12. quod auxilium non eſt aliud niſi phyſicè prædeterminans. Ergo Semipelagiani admiſerunt omne auxilium internum diuinæ gratiæ etiam ad initium fidei excepto *auxilio quo* ſeu phyſicè prædeterminanti. 126

Reſpondeo maiorem & minorem huius ſyllogiſmi eſſe falſas. Nam primo ſi nomine auxilij poſſibilitatis intelligas auxilium omne diuinæ gratiæ quod dat homini vires ſufficientes ad credendum, ſperandum, & diligendum Deum, ſicut oportet ad ſalutem, falſum eſt Semipelagianos admiſiſſe omne auxilium poſſibilitatis, quod ab ipſa natura non diſtinguitur: Exiſtimabant quippè, hominem etiam vitiatum ſufficere ſibi ad credendum, negarunt autem auxilium diuinæ gratiæ internum & ſupernaturale eſſe neceſſarium ad credendum.

Deinde falſum eſt *auxilium poſſibilitatis* eo ſenſu quo vſurpabatur à Pelagianis includere omne auxilium internum diuinæ gratiæ diſtinctum ab *auxilio quo*; nomine quippe *auxilij poſſibilitatis* nihil aliud intelligebant Pelagiani, niſi ipſam naturam humanam & liberum arbitrium quod à Deo accepimus: hoc autem non complectitur, vt patet, omne auxilium internum diuinæ gratiæ.

Denique falsò ſupponit idem Author quod nunquam probat, *auxilium quo*, de quo diſputat Auguſtinus loco relato eſſe ex natura ſua efficax ſeu phyſicè prædeterminans. Hoc enim probare tantum poteſt Authoritate Ianſenij, nullo autem Sancti Auguſtini teſtimonio.

Caput Decimum.

An modus quo P. Vincentius conciliat libertatem arbitrij cum auxilio efficaci diuinæ gratiæ ſit conformis S. Auguſtini principijs.

POterat caput præcedens iſtius eſſe reſponſionis vltimum: at modus ille inuſitatus & minime ferendus quo libertatem arbitrij P. Vincentius cum auxilio efficaci diuinæ gratiæ conciliare aggreſſus eſt, me properantem

properantem ad finem adhuc remoratur: Decet nimirum ingenia ſingularia quale eſt Vincentianum, in rebus illis arduis & difficultatis deſperatiſſimæ plenis, non latam & publicam inſiſtere viam quaſi duceret ad falſitatem, ſed anguſtam & priuatam ſibi facere, quâ eatur ſed ſanè non perueniatur ad veritatem: Gaudent dirigere brachia contra torrentem & in pronum præcipitemque fluminis aduerſi curſum quo rapiuntur omnes, validè niti; quæ ingenij ſibi præfidentis generoſitas planè conſimilis eſt priſcorum Celtarum fortitudini, de quâ in moralibus Ariſtoteles; hi non ſolum congrediebantur cum hoſtibus acie compoſiti, ſed etiam contra procellas & turbines imperterriti deprælíabantur.

Ingenij pari fortitudine prædití P. Vincentius captaſſe gloriam viſus eſt; quamuis enim modus quo vtitur ad conciliandam libertatem cum gratia, quemque petit ex mutua cauſalitate gratiæ & conſenſus in diuerſo genere cauſæ, ab omnibus fere Theologis reiiciatur vt falſum, vel contemnatur vt improbabile: viſum eſt tamen huic Authori in tam illuſtri & abrupta materia viriū ingenij ſui ſpecimen edere, atque aliquam probabilitatis ſpeciem ſuâ induſtriâ adiicere huic ſententiæ, quæ ferè ab omnibus improbatur; vtrum autem induſtriæ atque conatibus reſponderit ſucceſſus, ex iis quæ mox

Digitized by Google

ſubiicio planè conſtabit.

127 Iuuat igitur diſſertationis huius initium ducere ab argumento quod Thomiſtarum ingenia vehementiſſimè cruciat, quodque hunc in modum proponi poteſt. Secundum Concilium Tridentinum Seſſ. 6. Can. 4. Concilium Senonenſe Can. 15. S. Auguſt. lib. de Prædeſt. SS. C. 5. & de ſpiritu & litera c. 34. & S. Thomam quodlib. 1. art. 7. ad 2. auxilium efficax diuinæ gratiæ per quod homo trahitur ad bene volendum & operandum, eſt eiuſmodi vt poſitum ſit in poteſtate voluntatis, eius motioni reſiſtere & diſſentire: Atqui auxilium phyſicè prædeterminans quale à Thomiſtis defenditur non eſt eiuſmodi; cum enim ſit ex ſe indefectibile, & cum effectu ſuo tam arctè connexum, vt non ſit in poteſtate voluntatis efficere vt careat effectu, inde fit vt non ſit pariter in poteſtate voluntatis huic reſiſtere aut diſſentire, cum per diſſenſum ac reſiſtentiam impediatur ne habeat effectum.

Ergo auxilium phyſicè prædeterminans quale à Thomiſtis adſtruitur nullo modo eſt conſentaneum definitionibus conciliorum, & SS. Patrum doctrinæ. Ad hoc argumentum varia reſpondent Thomiſtæ.

128 Primùm quidem dicunt aliqui auxilium phyſicè prædeterminans optimè conciliari cum libertate conſenſus: eſt enim talis naturæ, vt non ſolum determinet voluntatem

Digitized by Google

ad ſubſtantiam actus, ſed etiam ad illius modum, videlicet libertatem; ideoque fieri nullo modo poteſt vt homo præueniatur tali auxilio, & huic liberè non conſentiat.

At hæc reſponſio nodum non ſoluit propoſitum, ſed arctius ſtringit: Si quidem certum eſt voluntatem huic auxilio non conſentire liberè, ſi non eſt in eius poteſtate poſitum illi reſiſtere & diſſentire; hoc enim maximè requiritur ad libertatem de qua hic diſputamus: Atqui vt iam oſtendi non eſt in poteſtate voluntatis auxilio phyſicè prædeterminanti reſiſtere ac diſſentire, ergo auxilium phyſicè prædeterminans non poteſt determinare voluntatem ad libertatem conſenſus, cum eam potius euertat.

Recurrunt alij ad rationis aduertentiam, 129
ſiue ad iudicium indifferens quod proponit voluntati bonum cui conſentit, vt finitum & malo mixtum; eo enim ſtante iudicio voluntas ipſa indifferens eſt ad conſenſum & diſſenſum.

At neque iſta ſolutio ſatisfacit. Vel enim poſito illo iudicio eſt in poteſtate voluntatis efficere vt auxilium phyſicè prædeterminans careat effectu, vel non; Si eſt in poteſtate voluntatis, ergo poteſt voluntas efficere vt auxilium phyſicè prædeterminans non ſit efficax, ac proinde non erit in ſe indefectibile vt contendunt Thomiſtæ; Si hoc non eſt in poteſtate voluntatis, ergo non eſt in eius

Digitized by Google

poteſtate huic auxilio reſiſtere & diſſentire, quod pugnat contra doctrinam SS. Patrum & conciliorum. Fruſtra igitur recurrunt Thomiſtæ ad illam iudicij indifferentiam, cum huius beneficio difficultas propoſita nullo modo ſoluatur.

130 Commune ergo & ferè ab omnibus receptum Thomiſtarum perfugium eſt diſtinctio ſenſus compoſiti & diuiſi. Aiunt enim voluntatem hominis ſimul cum auxilio phyſicè prædeterminante ad conſenſum habere potentiam proximam ad ponendum diſſenſum, quod ſufficit ad libertatem.

Verum neque in iſta ſolutione conquieſcere poteſt animus, cum enim impoſſibile ſit ſtare ſimul in eadem voluntate diſſenſum cum conſenſu, ſi voluntas phyſicè prædeterminata ad conſenſum habet ſimul potentiam proximam ponendi diſſenſum, per quem conſenſus excluditur; hoc ipſo habet potentiam proximam excludendi conſenſum à voluntate, ergo & efficiendi vt voluntas prædeterminata ad conſenſum, illum reipsâ non eliciat. Hoc autem cum pugnet contra naturam auxilij phyſicè prædeterminantis, intelligi nequit quomodo in eadẽ voluntate ſtet ſimul auxilium phyſicè prædeterminans ad conſenſum cum potentia proxima ad diſſenſum.

Senſit P. Vincentius huiuſmodi reſponſiones tam parum ſolidas eſſe, vt iis Theo-

Digitized by Google

logorum animus acquieſcere nequeat; quocirca quartam ipſe proponit, quam ſe primum omnium variis exemplis illuſtraſſe in Domino gloriatur.

Ait igitur ſect. 3. art. 2. §. 3. tectam & ſartam eſſe libertatem voluntatis, decreto diuino antecedenti & auxilio efficaci præuentam, ſi concipi & intelligi poſſit mutua prioritas & anteceſſio in diuerſo genere cauſæ, inter auxilium phyſicè prædeterminans ad conſenſum & ipſum conſenſum; ita vt conſenſus præcedat auxilium phyſicè prædeterminans per modum cauſæ materialis ſeu diſpoſitionis: auxilium autem prædeterminans præcedat ipſum conſenſum per modum cauſæ efficientis: Atqui rectè admitti poteſt mutua illa prioritas & anteceſſio inter auxilium phyſicè prædeterminans ad conſenſum & ipſum conſenſum. Ergo beneficio huius mutuæ prioritatis in diuerſo genere cauſæ optimè conciliatur arbitrij creati libertas cum auxilio efficaci diuinæ gratiæ. 131

Maiorem propoſitionem tradit expreſsè Cardinalis De Lugo diſput. 8. de pœnit. n. 169. vbi ait *ſaluari propriiſſimam libertatem cum prædeterminatione, ſi ſemel admittatur poſſibilis mutua illa prioritas: Quia pro illo priori pro quo conſenſus præcedit prædeterminationem, non intelligitur procedere à principio determinato, ſed ſolum à voluntate cum cognitione indifferenti.*

Digitized by Google

Eadem propoſitio traditur à Cardinali Bellarmino l. 3. de libero arbitrio cap. 8. vbi conſtituit iudicium vltimò practicum ad quod infallibiliter conſequatur actus voluntatis illæsâ libertate; propterea quod ipſum iudicium practicum ſit prius & poſterius ipſo actu voluntatis in diuerſo genere cauſæ.

132 Quod attinet ad minorem, ex eo probari poteſt quod in aliis caſibus detur mutua prioritas in diuerſo genere cauſæ; nam mutuam illam prioritatem admittit Vaſques inter gratiam habitualem & actum contritionis. Eadem mutua prioritas in diuerſo genere cauſæ admitti debet inter Chriſtum & Beatam Virginem à qua traxit originem, cum Chriſtus vitam gratiæ contulerit Mariæ Virgini, à qua naturam humanam hauſerat.

Eandem mutuam anteceſſionem tradit S. Thomas in cap. 12. ad hebr. lect. 13. vbi ait gratiam huic tribui qui gratiæ non ponit obicem peccando, & illud ipſum quod quis non ponat obicem, ex gratia procedere, id ipſum pariter colligitur ex Aug. lib. de correpti. & gratia c. 7. vbi explicat quomodo iuſtè corripiantur illi qui Dei præceptis non obtemperant.

Hæc P. Vincentius in ſuæ huius concordiæ libertatis cum gratia confirmationem. Sed profectò incredibile dictu eſt, quot quan-

Digitized by Google

tiſque abundet falſitatibus ſingularis illa cõcordia. Verùm antequã ad hoc demonſtrandum progredior, duo probare inſtituo; primum eſt, admiſsâ illâ mutuâ prioritate in diuerſo genere cauſæ inter auxilium phyſicè prædeterminans ad conſenſum & ipſum conſenſum, non melius conciliari libertatem arbitrij cum auxilio phyſicè prædeterminanti, quam ſi non admittatur eadem mutua prioritas. Alterum eſt mutuam illam prioritatem habere inſuper ſpeciales difficultates quarum ambages æquè inextricabiles ſunt ac ipſa conciliatio libertatis arbitrij cum auxilio phyſicè prædeterminanti: Quare nouo illo ſuo inuento non leuat pondus, ſed aggrauat; & cum ſufficeret iſti difficultati malitia ſua, accerſitis aliunde difficultatibus non ſolum hanc onerat ſed etiam obruit.

Ac primò quidem per mutuam illam prioritatem, propoſitam difficultatem non ſolui 133
hunc in modũ oſtenditur. Vt voluntas creata liberè conſentiat auxilio diuinæ gratiæ, neceſſe eſt iuxta conciliorum definitiones & SS. Patrum doctrinam, vt ſit in poteſtate voluntatis huic reſiſtere & diſſentire; atqui ſiue mutua illa prioritas inter auxilium phyſicè prædeterminans & conſenſum admittatur ſiue negetur non eſt in poteſtate voluntatis, auxilio phyſicè prædeterminanti reſiſtere & diſſentire: Alioquin eſſet in eiuſdem poteſtate efficere vt auxilium phyſicè prædetermi-

Digitized by Google

nans non haberet effectum ſuum, videlicet conſenſum, quod tamen eſt impoſſibile iuxta Thomiſtas: Ergo ſiue mutua illa prioritas admittatur, ſiue negetur nunquam tamen voluntas creata liberè conſentiet auxilio phyſicè prædeterminanti.

Confirmatur hoc ipſum, vel P. Vincentius exiſtimat reiectâ illâ mutuâ prioritate inter prædeterminationem & conſenſum, non remanere in voluntate cũ prædeterminatione ad conſenſum potentiam proximam diſſentiendi, vel exiſtimat remanere; Si primum reſpondeat; Ergo Thomiſtæ omnes quotquot mutuam illam prioritatem reijciunt malè conciliarunt libertatem arbitrij cum prædeterminatione, quandoquidem iuxta mentem P. Vincentij ſtare non poteſt libertas arbitrij cum auxilio phyſicè prædeterminanti; niſi admittatur mutua prioritas inter prædeterminationem ad conſenſum & ipſum conſenſum: Quod de Scholæ Thomiſticæ tot tantiſque doctoribus aſſeuerare religioni habebit. Deinde explicandum ſupereſt P. Vincentio quomodo admiſsâ illâ mutuâ prioritate remanet in voluntate potentia proxima ad diſſenſum cum prædeterminatione ad conſenſum, quæ tamen non remaneret ſi mutua illa prioritas negaretur. Hoc autem nuſquam præſtat author iſte, neque vnquam præſtare poterit quamcumque tandem ſe vertat in partem.

Sin

Digitized by Google

Sin autem dixerit, etiam reſectâ illâ mutuâ prioritate adhuc remanere in voluntate potentiam proximam ad diſſenſum cum prædeterminatione ad conſenſum; fruſtra igitur recurrit ad mutuam illam prioritatem, vt libertatem arbitrij cum prædeterminatione conciliet, quandoquidem huius mutuæ prioritatis beneficio hoc vnum dumtaxat aſſequitur, quod rem valdè obſcuram perdifficilem nouâ eâque maiori confuſione perturbet ac denſiore obſcuritate inuoluat.

Atque vt manifeſtius fiat quam malè cohæreat mutua illa prioritas in diuerſo genere cauſæ cum Thomiſtarum principiis, aduerſus illam ſic iterum argumentor. Si conſenſus voluntatis præcedit auxilium gratiæ per modum diſpoſitionis, neceſſe eſt vt procedat à voluntate prius naturâ aut ratione quam voluntas intelligatur determinata ad conſenſum per auxilium phyſicè prædeterminans: vel ergo in illo priori naturæ conſenſus procedit liberè à voluntate vel neceſſariò, primum planè repugnat; fieri quippe non poteſt vt effectus aliquis intelligatur procedere libere à causâ aliquâ in illo priori naturæ, in quo nondum intelligitur cauſa illa habere omnia neceſſario præreqniſita ad ponendum illum effectum. Conſtat autem voluntatem in illo priori naturæ non habere omnia prærequiſita ad ponendum conſenſum, cum in illo priori non habeat phyſicam prædetermi- 134

Digitized by Google

nationem ; quæ iuxta Thomiſtas eſt vnum ex neceſſariò prærequiſitis ad conſenſum.

Quod ſi reſpondeas in illo priori naturæ conſenſum procedere neceſſariò à voluntate; ergo prioritas illa quam tanti facit P. Vincentius *non ſartam & tectam præſtat libertatem arbitrij decreto antecedenti & auxilio prædeterminanti præuentam*, ſed eam potius extinguit ac perimit, & quidem prius naturâ quám phyſica prædeterminatio immittatur in voluntatem.

135 Sed age veniamus ad Auguſtinum & experiamur, an mutuam illam prioritatem adhibuerit, vt concordiam iniret libertatis & gratiæ. Certè ſi eius tractatus luſtramus vniuerſos quos de gratia & libero arbitrio conſcripſit, ne vnum quidem locum inueniemus, ex quo vel cum aliquâ probabilitatis ſpecie colligi queat, eâ ratione vel ab ipſo defenſam arbitrij libertatem, vel gratiam cum libero arbitrio conciliatam.

Quocirca ſi mihi eadem vti liceat argumentandi formâ quâ P. Vincentius Scientiæ Mediæ defenſores vrgere conatus eſt, lubenter ab ipſo ſciſcitabor, an S. Auguſtinus nouerit modum adeò mirabilem conciliandi libertatem cum graria vel ignorauerit? Si Auguſtino ignotum fuiſſe dixeris, quale Deus bone, quamque ſuſpectum eſſe debet genus iſtud concordiæ libertatis cum gratia, quod magnum Auguſtinum, hoc eſt præ-

ſtantiſſimum gratiæ Magiſtrum ac Doctorem incomparabilem penitus latuit; ſi notum fuiſſe Auguſtino contendas: ergo; cùm eo nuſquam vſus fuerit in concilianda libertate cum gratia; vel vt falſum reiecit, vel reus dicendus eſt detentæ in iniuſtitiâ veritatis, cum enim obiicientibus Pelagianis per gratiæ prædicationem induci in hominum voluntates fatalem agendi neceſſitatem, reſpondere potuiſſet dari mutuam prioritatem in diuerſo genere cauſæ, inter auxilium gratiæ & conſenſum, cuius beneficio fit vt ſarta & tecta remaneat arbitrij libertas decreto antecedenti & auxilio efficaci præuenta, penitus obmutuit, deque mutua illa prioritate ne leuem quidem fecit in omnibus ſuis ſcriptis mentionem.

Neque dixeris S. Doctorem modum illum conciliandi libertatem cum gratia proponere lib. de corrept. & grat. cap. 7. vbi dum reddit rationem, cur iuſtè corripiantur illi qui cum iuſti eſſent, in ſtatu gratiæ non perſeuerarunt, ait eos iuſtè corripi *quia ex bona in malam vitam ſuâ voluntate mutati ſunt.* Quis enim eſt tam cæcus vt non videat in illis verbis ne tenue quidem veſtigium apparere mutuæ huius prioritatis in diuerſo genere cauſæ. Sane profiteor apertè cum Auguſtino & cum Catholicis omnibus, eos iuſtè corripi qui à ſtatu gratiæ recedunt & in eo non perſeuerant quia ex bona in malam vi-

Digitized by Google

tam ſua voluntate, hoc eſt plena libertate mutati ſunt: mutuam tamen illam prioritatem, vti falſam & fictitiam reiicio ac pernego conſtantiſſimè, neque veró iuſta erit illorum excuſatio dum corripiuntur, ſi correpti reſpondeant, perſeuerantiam non accepimus; poteſt enim, vt ait Auguſt. ibidem, illis hominibus dici, *in eo quod audieras & tenueras perſeuerares ſi velles.*

Ex his niſi fallor perſpicuè intelligitur mutuam illam prioritatem eſſe prorſus inutilem ad conciliandam libertatem arbitrij cum auxilio phyſicè prædeterminanti: nunc paucis demonſtrandum ſupereſt nullum genus concordiæ libertatis cum gratia excogitari poſſe, quod Semipelagianorum errori magis faueat, & Auguſt. principiis euidentius aduerſetur.

136 Atque vt à Semipelagianorum errore ducam exordium: iuxta S. Proſperum in eo errarunt Semipelagiani, quod vellent *priorem eſſe obedientiam quã gratiam.* Hoc eſt bonam credendi voluntatem præcedere ipſam infuſionem gratiæ: Atqui admiſſa mutua illa prioritate ſequitur priorem eſſe obedientiam quam gratiam. Nam vt ait P. Vincentius conſenſus ſalutaris qui exhibetur diuinæ gratiæ procedit à voluntate per modum diſpoſitionis ad gratiam prius naturâ quàm gratia infundatur. Ergo mutua illa prioritas inter conſenſum & gratiam, non parum fauet

Digitized by Google

huic Semipelagianorum errori ; Quandoquidē per illam explicatur, quomodo vitiata per peccatum voluntas faciat bonum priuſquam bona ſit; hoc eſt, vt dicebat Tertull. in lib. de anima, *arbor mala det bonos fructus antequam inſeratur, & genimina viperarum fructum Pœnitentiæ faciant antequam venenum malignitatis expuerint.*

Deinde iuxta S. Thomam quodlibeto 1. art. 7. *ad errorem Pelagianum pertinet dicere, quod homo poſſit ſe ad gratiam præparare abſque auxilio diuinæ gratiæ.* Atqui ſi ſemel conceditur mutua prioritas inter conſenſum & auxilium diuinæ gratiæ, homo ſe præparat ad gratiam per actum ſalutarem abſque auxilio diuinæ gratiæ. Nam prius naturâ quam accipiat auxilium diuinæ gratiæ, ponit conſenſum ſalutarem per modum diſpoſitionis præuiæ ad illius auxilij receptionem. Ergo hæc mutua prioritas inter conſenſum & auxilium diuinæ gratiæ plurimum fauet Pelagianorum errori.

Præterea in hoc erratū eſt à Semipelagianis, quod vellent prædeſtinationem ad gratiam hoc eſt præparationem auxiliorum quibus certiſſimè liberantur quicunque liberantur, præſupponere bonum aliquod meritū ſolis naturæ viribus comparatum : Atqui ſi ſemel conceſſeris mutuam prioritatem inter conſenſum & auxilium diuinæ gratiæ, ſequitur præparationem gratiæ præſupponere bonum

aliquod meritum ſolis naturæ viribus comparatum. Nam donatio auxilij diuinæ gratiæ præſupponit conſenſum ſalutarem à voluntate poſitum per modum diſpoſitionis prius naturâ quam ipſum auxilium à Deo tribuatur. Ergo mutua illa prioritas fauet maxime Semipelagianorum errori.

137 Iam verò quod attinet ad argumenta quibus. S. Auguſtinus errorem illum Pelagianorum & Semipelagianorum impugnat, manifeſtum eſt nullam prorſus illis ineſſe vim, ſi ſemel admittitur mutua prioritas inter auxilium diuinæ gratiæ & conſenſum. Ac proinde fruſtra ille animum fatigauit qui vt ait Fulgentius in lib. de prædeſt. *indutus virtute ex alto abundantius omnibus laborauit, non autem ipſe, ſed gratia Dei cum illo* vt oſtenderet *in hominis voluntate nihil bonæ cogitationis oboriri, niſi quod beneficio gratiæ præuenientis infunditur.*

Etenim quando S. Auguſtinus vtitur verbis illis Apoſtoli *Quid habes quod non accepiſti?* Vt inde probet etiam ipſam fidem nos habere à Deo per auxilium diuinæ gratiæ; reſpondere poterunt Semipelagiani admittendo mutuam illam prioritatem, hominem habere à ſeipſo & fidem & alios omnes actus ſalutares, quatenus ſcilicet eos ponit per modum diſpoſitionis ad gratiam prius naturâ quám auxilium diuinæ gratiæ à Deo accipiat.

Digitized by Google

Quando pariter idem Auguſtinus refellit eumdem errorem illis Apoſtoli verbis *Quis prior dedit ei vt retribuatur illi*, poſſunt reſpondere Semipelagiani admiſſa mutua prioritate inter auxilium & gratiam, hominem prius dare conſenſum per modum diſpoſitionis & Deum retribuere auxilium gratiæ per modum cauſæ efficientis, ſic effugient iuſtam Auguſtini reprehenſionem, quâ cap. 2. lib. de Prædeſt. SS. inſectatur illos, quod dicerent *fidem cœptam* eſſe ab homine, *fidem auctam* à Deo: *quaſi* (ait) *componat homo cum Deo vt partem fidei ſibi vindicet, atque illi partem relinquat, & quod eſt elatius, primam tollit ipſe, ſequentem dat illi, & in eo quod dicit eſſe amborum, priorem ſe facit poſteriorem D. Deum.*

Quando demum vt cætera prætermittam idem S. Doctor adducit illum alterum locum Apoſtoli, *non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*, vt ex eo concludat contra Semipelagianos nos non eſſe ſufficientes ad credendum abſque auxilio gratiæ, leui negotio eludent vim illius loci Semipelagiani, beneficio mutuæ prioritatis inter gratiam & conſenſum: dicent enim nos eſſe ſufficientes ex nobis ad rectè cogitandum & credendum ſaltem, per modum diſpoſitionis præuiæ ad infuſionem auxilij diuinæ gratiæ

Digitized by Google

Atque hæc eſt præcipua & conſpicua mutuæ iſtius prioritatis vtilitas, ſanè inſigniter damnoſa; nam per eam imbellia & inutilia fiunt argumenta valida, quibus tot annis totque tractatibus Magnus ille Auguſtinus *qui in glorioſa Chriſtianæ gratiæ defenſione ad mortem vſque perſeuerauit* vt ſcribit Proſper in Chronico; aliique Catholici Tractatores hanc opinionem Semipelagianorum perditiſſimæ naturæ noſtræ ſuperbam prædicatricem potentiſſimè debellarunt. Etenim hi quaſi inuulnerati pugnare poterant & obſtinatè dicere quod in Proſperi litteris ad Auguſtinũ datis aſſeuerabant, *poſſe vitam æternam his apprehendi qui Deo ſponte crediderint & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint:* Poſtea mutuæ prioritatis in diuerſo genere cauſæ auxilium inter diuinæ gratiæ eiuſque effectum præſidio, poterant ſe defendere ab omnibus rationibus, quibus ſancti Patres probabant, *Sponte* ac ſine ope gratiæ auxiliatricis haud poſſe hominem accedere ad Deum credendo ſicut oportet ad ſalutem. Quare inuicti fuiſſent gratiæ diuinæ Hoſtes, de quibus omnino profligatis deuictiſque felicem Catholica veritas egerat triumphum. Porro inutile iſtud prioritatis genus non introduxit omnium primus P. Vincentius in Theologiam prædeterminantium, quò humanius exciperetur illa, duorum, vt ipſe teſtatur, Cardinalium authoritate

ritate communiuit, exemplisque variè conquiſitis magis perſpicuè illuſtrare tentauit. Verum in hoc quoque deceptus eſt; nam huic mutuæ prioritati, neque tantorum Cardinalium fauent ſuffragia neque proſunt exempla.

Primùm enim Cardinalis De Lugo eo 138
ipſo in numero, quem Pater Vincentius allegat, diſertiſſimè tradit, *argumentum ex libertate petitum, eſſe abſolute efficax ad probandum, actum contritionis non poſſe procedere ab habitu gratiæ, ad quem diſponit, nec conſenſum poſſe diſponere ad prædeterminationem à qua fit*; ſubiungit autem, *eos qui huiuſmodi prioritatem admittunt, non poſſe vti hoc argumento ad impugnandas illas ſententias.*

Quod ego ſanè non inuitus permiſerim: at quamuis forte hoc argumento vti non non poſſit Vaſques contra Thomiſtas, quia mutuam prioritatem agnoſcit, inter actum contritionis & habitum gratiæ, hoc tamen non impedit, quominus idem argumentum abſolutè ſit efficax & tale, vt huius mutuæ prioritatis beneficio explicari nequeat, quomodo libertas arbitrij cum auxilio prædeterminanti rectè cohæreat.

Deinde fictum eſt quod Bellarmino tribuit P. Vincent. Docet quidem Bellarminus. lib. 3. de lib. arb. c. 8. Iudicium practicum prærequiri ad electionem voluntatis eamque ex illo iudicio neceſſariò conſequi. 139

Digitized by Google

Docet inſuper c. 9. ad 7. argumentum, voluntatem in eligendo liberam eſſe, quia illud iudicium practicum, ex quo electio neceſſariò ſequitur, eſt in poteſtate voluntatis, quatenus eſt in eius poteſtate vt ſinat ſe moueri ab hac vel ab alia ratione; at nuſquam docet iudicium practicum & electionem ſeſe mutuo antecedere in diuerſo genere cauſæ. Quapropter mutuam illam prioritatem in Bellarmino fingit P. Vincentius, cum in eius ſcriptis nullum illius extet veſtigium.

Quod attinet ad S. Thomam, ſuperius
140 oſtendi, lib. 3. contra gentes cap. 159. & 160. nihil planè contineri quo mutua illa prioritas aſtruatur, ſiue inter gratiam & eius effectum, ſiue inter gratiæ denegationem & peccatum; nec magis fauet eidem mutuæ prioritati, locus ex lectione 3. in cap. 12. Epiſt. ad Hebræos depromptus, nam verba S. Doct. ſunt. *Dicendum quod hoc ipſum quod quis non ponit obſtaculum*, videlicet gratiæ, *ex gratia procedit, vnde ſi aliquis ponat* obſtaculum, *Et tamen moueatur cor eius ad remouendum illud; hoc eſt ex dono gratiæ Dei vocantis per miſericordiam ſuam, non gratum facientis. Quod ergo à quibuſdam remouetur iſtud obſtaculum, hoc eſt ex miſericordia Dei; quod autem non remouetur eſt ex iuſtitia eius*. Sed obſecro quid in illis verbis inuenire potuit Author iſte, vnde mutuam illam prioritatem eliciat? Fateor cum S.

Digitized by Google

Thoma, ex gratia Dei vocantis prouenire, quod aliquis abſtineat à peccato, per quod poneret obſtaculum nouæ gratiæ quæ illi tribuitur? Contendo autem S. Doctorem nec ibi nec alibi docere, dari mutuam prioritatem inter auxilium gratiæ quod homini tribuitur ad vitandum peccatum, & omiſſionem peccati quæ ex tali gratia conſequitur, aut inter carentiam obicis & nouam gratiam quæ obice remoto à Deo conceditur. Exemplum Chriſti Domini non eſt ad rem; nemo enim eſt qui doceat vitam ſpiritualem B. Virginis Mariæ & vitam Chriſti naturalem eſſe ſibi mutuò cauſas, ſiue in eodem ſiue in diuerſo genere cauſæ. Cæterum quomodo B. Virgo mereri potuerit Maternitatem per merita quæ originem trahant ex meritis Chriſti, abſque eo quod principium meriti cadat ſub meritum, quæſtio eſt alterius loci: de illa vero ita diſputant Theologi vbi de Myſterio Incarnationis, vt à mutua prioritate tanquam ab immani ſcopulo remis, vt aiunt, veliſq; omni feſtinatione aufugiant, & in locũ multò tutiorem nauem obuertant ſuam.

Ex iis interim licet facilè intelligere, ni- 141
hil à P. Vincentio proferri potuiſſe, quod probabile redderet, libertatem arbitrij cum auxilio phyſicè prædeterminanti optimè conciliari beneficio mutuæ prioritatis inter illud auxilium & eius effectum. Ac profectò nihil erat cauſæ, cur in illa mutua priorita-

Digitized by Google

te ſtabilienda aut exemplis illuſtranda, tanto conatu ſtudioque ſe defatigaret;nam ſi credimus illi, vbi de Monachis Adrumetinis facit mentionem, ſect. 2. art. 3. §. 3. linguâ loquutus Ianſenij Yprenſis Epiſcopi, ait Monachos illos *non quidem gratiam negaſſe, ſed cum illa ſtare libertatem: quia cum eſſent Catholici, quidlibet ſibi tolli malebant quam gratiam Dei.* Quod hoc ipſum totidem fere verbis dixerat Yprenſis. lib. 5. de Hæreſi Pelagiana §. 14. Ita vt in hac ex illo plagula exſcribenda vel referenda,bonā deſiderare fidē nemo poſſit, at potius cum P. Vincentiū in tali mutuo deprehenderit, præclarè cognoſcat, in eadem ipſum accepiſſe officina bonas illas merces quarū vile pretium oſtendimus, hoc eſt luculentas falſitates quas de Hæreſi Semipelagiana protulit & abundè confutauimus.

142 Nunc autem accipio quod dixit; Si poteſt is eſſe Catholicus, qui libertatis cum diuina gratia conciliandæ nullam inuenire cum poſſit rationem, longè malit tamen, arbitrij negare libertatem quàm Dei gratiam, vt Yprenſi Ianſenio aſſentiens ipſe P. Vincentius aſſeuerat: Magno vtique laboris & operæ compendio, atque honeſtâ cognitæ veritatis confeſſione ad propoſitam reſpondiſſet quæſtionem, auxilium phyſicè prædeterminans & humanam libertatem nullâ prorſus inter ſe coniungi poſſe concordia; deinde

Digitized by Google

cum ipſe Catholicus ſit atque de Schola Prædeterminantium; pro ſuo in hanc opinionem amore ardentiſſimo ſubiunxiſſet, malle ſe quidlibet ſibi tolli quam gratiam phyſicè prædeterminantem.

Capvt Vltimvm.

Soluuntur Reſponſiones duæ ad aliqua Sancti Auguſtini pro Scientia Media teſtimonia.

NE fortè vlla ſuperſit aduerſariis occaſio querendi, aliquid eorum quibus Scientiæ Mediæ tantulùm negotij poſſe fieri arbitrantur, inexploratè à me præteriri; aut etiam ſuâ ſe voce victores prædicent, ac credulè nimis ſibi blandiantur, quaſi difficultates forent inexpugnabiles, quotquot laceſſere ac ſuperare noluerim reſpondendo; iuuat hîc refellere duas illas reſpõſiones quas tangit P. Vincent, quæque aliis Prædeterminantibus tam ingenti ſunt in pretio, vt ex iis liquidò conſtare opinentur, in tot tantiſque Magni Auguſtini operibus, ne vnum quidem legi poſſe locum quo probari queat, Scientiam Mediam in Deo illum admiſiſſe.

Duo ſunt, inquiunt, teſtimonia præci- 143

pua, quibus aſſertores Scientiæ Mediæ conantur adſtruere, eam fuiſſe receptam ab Auguſtino. Primum petitur ex libro de Prædeſtin. SS. c. 14. & lib. 1. de anima & eius orig. c. 12. vbi Sanctus Auguſtinus verbis Sapientiæ 4. *raptus eſt ne malitia mutaret intellectum*, impugnat erroneum illud Semipelagianorum effatum, *mortui iudicantur ſecundum ea quæ facturi eſſent ſi viuerent.* Nam, vt ait S. Doctor, ſi hoc ita eſſet, nihil prodeſſet nullumque fuiſſet collatum beneficium ei qui raptus eſt ne malitia mutaret intellectum: *Quandoquidem iudicabitur ſecundum eam quæ in illo fuerat futura malitia, non ſecundum illam quæ in eo inuenta eſt innocentia*;

Alterum petitur ex cap. 9. lib. de bono perſeuerantiæ, vbi idem Semipelagianorum effatum S. Doctor refellit verbis Chriſti Math. 11. *væ tibi CoroZaim, væ tibi BethZaida.* Nam, inquit Auguſtinus, *ſi etiam ſecundum facta quæ facturi eſſent ſi viuerent mortui iudicantur, profecto quia fideles futuri erant iſti*, videlicet Tyrij & Sidonij, *ſi eis cum tantis miraculis fuiſſet prædicatum Euangelium, non ſunt vtique puniendi, punientur autem; Falſum eſt ergo &c.*

Atqui duobus hiſce teſtimoniis haudquaquam probatur S. Auguſtinum admiſiſſe in Deo Scientiam Mediam: Primò namque reſponderi poteſt verbis Sapientiæ 4. nihil

Digitized by Google

aliud euincere Auguſtinum, niſi fuiſſe collatum beneficium ei qui rapitur ne malitia mutet intellectum; hoc autem rectè intelligi poteſt, quamuis Deus non præuiderit illum peccaturum ſi diutius viueret. Modò enim præuiderit Deus eum ſi viueret multis peccandi periculis exponendum magnum illi confert beneficium dum illum ſubrahit periculorum incerto; Ergo ex illo Auguſtini teſtimonio nullo modo Scientia Media in Deo aſtruitur.

Deinde ad illud ipſum & alterum teſtimonium ex lib. de bono Perſeuer: depromptum reſponderi poteſt his in locis S. Auguſtinum non admittere Scientiam Mediam, ſed ex illa à Semipelagianis conceſſa contra ipſos argumentari, & oſtendere falſum eſſe illud effatum, *mortui iudicantur ſecundum ea quæ facturi eſſent ſi viuerent*. Nam ſi daretur illa ſcientia in Deo, vt ſtatuunt Semipelagiani, præuidiſſet Deus Tyrios conuertendos & fideles futuros ſi factæ fuiſſent apud illos virtutes quæ factæ ſunt apud Iudæos, atque ita non eſſent puniendi à Deo ſed præmio afficiendi, punientur tamen; Falſum eſt ergo &c. Ita Auguſtinus vbi non admittit Scientiam Mediam, ſed ex ea à Semipelagianis admiſſa ipſorum errorem refellit.

Sed profectò quibus ita ratiocinari viſum 144
eſt bonum, à S. Auguſtini mente immane

Digitized by Google

eſt, peccaturum ſi diutius viueret.

Confirmatur, quando S. Auguſtinus ex iſto antecedenti *ſi mortui iudicantur ſecundum ea quæ facturi eſſent ſi viuerent*, hanc conſecutionem deducit, *nihil prodeſſet ei qui raptus eſt ne malitia mutaret intellectum*, neceſſe eſt vt hoc modo ratiocinetur: Huic homini nihil prodeſt quod rapiatur ex hac vita dum iuſtus eſt, ſi perinde eſt puniendus ac ſi in peccato moreretur: At iuxta Semipelagianos perinde eſt puniendus ac ſi in peccato moreretur; nam iuxta illos homo puniendus eſt ob ea quæ facturus eſſet ſi viueret; iſte autem qui moritur dum iuſtus eſt, peccaturus erat ſi viueret, vt colligitur ex verbis Sapientis *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum*; Ergo homo ille qui moritur iuſtus, eſt à Deo puniendus perinde ac ſi in peccato moreretur, Ergo nihil ei prodeſt quod moriatur in ſtatu iuſtitiæ, quod tamen, inquit S. Doctor, nemo Chriſtianus dicere audebit. 145

Hæc eſt S. Auguſtini ratiocinatio, nec poteſt loco huic alia tribui quæ Semipelagianos premat; conſtat autem in ea S. Doctorem ſupponere iuxta Sapientis verba, eum qui rapitur ex hac vita dum iuſtus eſt ne malitia mutet intellectum, præuideri à Deo peccaturũ atque à iuſtitia receſſurum ſi viueret; ergo admittit illam præſcientiam in Deo.

Præterea idem S. Doctor, dum reddit ra- 146

Digitized by Google

tionem ob quam ex hoc Semipelagianorum effato, *mortui iudicantur ſecundum ea quæ facturi ieſſent ſi viuerent*, ſequatur nullum conferri beneficium ei qui rapitur immaturâ morte ne malitia mutet intellectum, non aliam adducit niſi iſtam, quia, inquit, *iudicabitur ſecundum eam quæ in illo fuerat futura malitia, non ſecundum illam quæ in eo inuenta eſt innocentia*. Ergo ſupponit in eo futuram malitiam ſi diutius viueret, atque adeo Deum hoc præſciuiſſe; admittit ergo in Deo ſcientiam futurorum ſub conditione.

Venio nunc ad alteram reſponſionem, &
147 oſtendo multùm eos aberrare à vero qui cenſent S. Auguſtinum ſcientiam conditionatam non admiſiſſe, ſed ex ea tantum à Semipelagianis conceſſa contra ipſorum errorem fuiſſe ad hominem, vt aiunt, argumentatum.

Etenim quando S. Doctor vrget Semipelagianos verbis Sap. 4. *raptus eſt ne malitia mutaret intellectum eius*, manifeſtum eſt eum non argumentari ad hominem ex præuiſione conditionata à Semipelagianis conceſſa, ſi ipſi Semipelagiani negabant, Deum præuidiſſe iuſtum quem rapit immaturâ morte, peccaturum ſi diutius viueret[1]: atqui hoc maximè negabant Semipelagiani; ergo S. Auguſtinus non argumentabatur ad hominem ex præuiſione conditionata ab iis conceſſa.

Minor propoſitio quæ ſola vocari poteſt in dubium, ſic demonſtratur: Semipelagiani non poterant ſeſe ab argumentatione S. Auguſtini expedire, niſi negando Deum præuidiſſe eum quem rapit ex hac vita dum iuſtus eſt, peccaturum ſi diutius viueret; Nam ſi conceſſiſſent eum qui rapitur ex hac vita dum iuſtus eſt, peccaturum ſi diutius viueret, non poterant negare quod inde contra ipſos deducere S. Doctor nitebatur, nimirum, aut mortuos non iudicari ſecundum ea quæ facturi eſſent ſi viuerent; aut hominem iuſtum qui rapitur immaturâ morte, non præmiari ſecundum eam in qua moritur innocentiam, ſed puniri ſecundum eam quæ in eo futura eſſet malitia ſi viueret, quo nihil dici poteſt abſurdius & magis alienum à vero. Ergo ne in tantam abſurditatem delaberentur, negare debebant Deum præuidiſſe iuſtum quem rapit ex hac vita, peccaturum ſi diutius viueret.

Confirmatur, ſi Semipelagiani non negaſſent Deum hoc præuidiſſe; nihil erat cauſæ cur illum Sapientis locum reiicerent, quaſi non eſſet libri Canonici, vt refert S. Auguſtinus lib. de prædeſt. SS. C. 14. & lib. de corrept. & grat. c. 8. ſequela probatur, vel enim locum hunc reſpuebant; quia negabant conferri beneficium ei qui rapitur ex hac vita dum iuſtus eſt, ne peccandi periculis exponatur, vel quia negabant Deum

præuidiſſe illum peccaturum ſi diutius viueret; primum dici non poteſt, cum ipſo naturæ lumine notum ſit, magnum huic à Deo conferri beneficium qui rapitur immaturâ morte dum iuſtus eſt, vt periculorum ſubtrahatur incerto; ergo illum locum ideo reſpuebant, quia negabant Deum præuidiſſe eum qui rapitur ex hac vita dum iuſtus eſt, peccaturum ſi diutius viueret.

Atque hoc ita certum eſt, vt niſi Semipelagiani ſecum ipſi pugnare apertè vellent, negare cogerentur Deum præuidiſſe vllum eorum qui moriuntur in ſtatu iuſtitiæ & gloriâ æternâ donantur, peccaturum ſi diutius viueret: Nam ſi admiſiſſent Deum præuidiſſe aliquem eorum qui moriuntur in ſtatu iuſtitiæ, peccaturum ſi diutius viueret, coacti fuiſſent concedere iuxta ſua principia, illum tametſi mortuum in ſtatu iuſtitiæ, non gloria æternâ donandum, ſed puniendum propter malitiam quæ in eo futura erat, ſi viueret.

148 Præterea quando idem S. Doctor eundem errorem inpugnat exemplo Tyriorum & Sidoniorum, qui iuxta Semipelagianorum effatum non eſſent puniendi ſed præmio donandi, quia fideles futuri erant, ſi apud illos cum tantis miraculis prædicatum fuiſſet Euangelium, non ſupponit à Semipelagianis concedi, illos fideles futuros ſi apud ipſos fuiſſet prædicatum Euangelium, ſed

hoc probat verbis Chriſti Math. 11. Ergo non vtitur illâ Dei præſcientiâ tanquam à Semipelagianis conceſsâ, ſed eam potius ipſemet adſtruit verbis Chriſti Domini, & illâ ſemel ſtabilitâ, contra merita conditionata à Semipelagianis admiſſa argumentatur.

Ac ne cui forte ea de re dubitare veniat 149
in mentem, obiectionem hanc Auguſtinus ipſe præocuppat ibidem cap. 9. de bono perſeuerant. Cum ait, *ſed nunquid poſſumus dicere etiam Tyrios & Sidonios talibus apud ſe virtutibus factis credere noluiſſe aut credituros non fuiſſe ſi fierent; cũ eis ipſis Dominus atteſtetur, quod acturi eſſent magnæ humilitatis pœnitentiam, ſi in eis facta eſſent diuinarum illa ſigna virtutum.* Vbi vides S. Doctorem non ſolùm non aſſumere tanquam conceſſum à Semipelagianis, quod Tyrij pœnitentiam egiſſent, ſi in eis facta eſſent diuinarum illa ſigna virtutum; ſed è contrario illud ipſum Chriſti verbis adſtruere aduerſus illos qui id negare auderent; hoc autem vbi probauit, tum verô contra Semipelagianos argumentando ſubiicit, *Porro ſi etiam ſecundum ea quæ facturi eſſent ſi viuerent, mortui iudicantur; profecto quia fideles futuri erant iſti, ſi eis cum tantis miraculis fuiſſet Euangelium prædicatum, non ſunt vtique puniendi; punientur autem: Falſum eſt igitur ſecundum ea mortuos iudicari, quæ facturi eſſent ſi ad viuentes Euangelium perueniret.*

150 Ita Auguſtinus cui conſonat S. Proſper reſponſione 8. ad excerpta Genuenſium, vbi de Tyriis differens ait, *Quos etiam credituros fuiſſe ipſa veritas dicit, ſi talia, qualia apud non credentes facta ſunt, virtutum ſigna vidiſſent.* In quibus verbis non dicit Proſper Semipelagianos hoc aſſerere, ſed *ipſam veritatem*, videlicet Chriſtum Dominum *dicere Tyrios credituros, ſi talia, qualia apud non credentes facta ſunt, virtutum ſigna vidiſſent.* Ergo S. Auguſtinus & eius diſcipulus S. Proſper non vtuntur ſcientiâ conditionatâ tanquam à Semipelagianis conceſsâ, ſed eam potius variis ſcripturæ teſtimoniis ſtabilire nituntur; tum verò ex ea ſemel ſtabilita oſtendunt, falſum eſſe quod Semipelagiani ſtatuebant, *ſecundum ea mortuos iudicari, quæ facturi eſſent ſi viuerent.*

Cæterum ſi quiſpiam contendat S. Auguſtinum iis in locis adſtruere quidem ſcientiam conditionatam in Deo, ſed non docere, eam eſſe Scientiam Mediam; hoc eſt, independentem à decreto ex parte obiecti conditionato, non equidem reluctabor; neque enim hæc Auguſtini teſtimonia idcirco in medium adduxi, vt inde probarem eſſe in Deo Scientiam Mediam, ſed vt conficerem S. Doctorem admiſiſſe in Deo ſcientiam conditionatam, Quam deinde oſtendo ex aliis Auguſtini locis, eſſe independentem ab omni decreto conditionato.

Digitized by Google

VNum præterea ad coronidem reſponſionis huius placet adiicere, vt ſatisfaciam nonnullis qui exiſtimant, argumentum à me propoſitum contra P. Vincentium num 120. in meipſum & Scientiæ Mediæ defenſores poſſe optimè retorqueri; illud autem argumentum eſt eiuſmodi.

Error circa gratiam ob quem Semipelagiani damnati ſunt ab Eccleſiâ, in eo conſiſtit iuxta P. Vincentium, quod negauerint auxilium phyſicè prædeterminans eſſe neceſſarium ad initium fidei : atqui Eccleſia permittit vt doctores Catholici palam ac publicè doceant in Scholis, auxilium phyſicè prædeterminans non eſſe neceſſarium ad vllos actus ſalutares, atque adeo ad initium fidei: Ergo Eccleſia permittit vt à ſuis doctoribus publicè tradatur in Scholis quod olim ab ipſa vt erroneum in Semipelagianis damnatum eſt : vel certe non errarunt Semipelagiani circa gratiam; cum iuxta P. Vincentium non aliam reiecerint niſi prædeterminantem.

Hæc eſt mea contra P. Vincentium argumentatio eò loci : nunc paucis demonſtrandum eſt, eam neque poſſe in meipſum neque in Scientiæ Mediæ defenſores legitimè retorqueri. Siquidem non poteſt retorqueri niſi vno ex modis quos mox ſubiicio. Primus eſt, Error Caluini circa gratiam ob quem in Concilio Tridentino damnatus eſt,

in eo conſiſtit quod dixerit gratiam efficacem inducere in voluntatem operandi neceſſitatem; atqui Eccleſia permittit vt hoc ipſum doceant doctores Catholici, dum permittit vt doceant auxilium phyſicè prædeterminans inducere operandi neceſſitatem: ergo Eccleſia permittit vt à ſuis doctoribus publicè defendatur quod fuit ab ipsâ in Caluino reprobatum.

At quis non videt modum illum retorquendi inanem prorſus eſſe ac nugatorium; minor enim propoſitio apertiſſimè falſa eſt, cum neque ſit vllus inter doctores Catholicos qui doceat, gratiam efficacem inducere operandi neceſſitatem, neque Eccleſia id doceri permittat.

Alter retorquēdi modus eſt: Si in hoc errauit Caluinus & ab Eccleſia damnatus eſt, quod dixerit gratiam efficacem inducere agendi neceſſitatem; atqui Scientiæ Mediæ defenſores dicunt, auxilium phyſicè prædeterminans inducere agendi neceſſitatem, & Eccleſia permittit vt hoc publicè doceant, ergo Eccleſia permittit à Scientiæ Mediæ defenſoribus illud ipſum publicè propugnari quod in Caluino reprobauit.

Verum neque iſte retorquendi modus tolerabilis eſt; nam maiori & minori propoſitione permiſſis falſa eſt conſequentia; in minori namque propoſitione loco gratiæ efficacis de quà in maiori, ponitur auxilium phyſicè

ſicè prædeterminans, quod tamen negatur eſſe gratia efficax, ab iis qui docent induci per illud agendi neceſſitatem.

Tertius retorquendi modus eſt iſte. Caluinus in hoc errauit & ab Eccleſia damnatus eſt, quod dixerit gratiam efficacem eſſe auxilium phyſicè prædeterminans; atqui hoc ipſum Thomiſtæ dicunt ipsâ permittente Eccleſiâ; Ergo Eccleſia permittit vt propugnetur à ſuis quod in Caluino damnauit.

At neque iſte retorquendi modus eſt legitimus; nam propoſitio maior ab omnibus, cùm Thomiſtis, tum Scientiæ Mediæ defenſoribus reiicitur tanquam falſa. Nullus enim eſt inter eos, qui dicat errorem Caluini circa gratiam efficacem in eo conſiſtere, quod cenſeat eam eſſe phyſicè prædeterminantem, ſed quod cenſeat eſſe talem vt agendi neceſſitatem inducat.

Quocirca quocunque tandem modo propoſitam à me ſuperius argumentationem aduerſarij retorqueant, manifeſtum eſt non poſſe ab iis in me aut Scientiæ Mediæ defenſores legitimè retorqueri.

Hæc ſunt quæ pro Scientiæ Mediæ defenſione aduerſus argumenta P. Vincentij Baronij ſcribenda duxi, non hoſtili animo ſed beneuolo; nos enim Catholici, vt verbis vtar Hieronimi epiſtola 30. ad Auguſtinum non liuore animi ſed veritatis indagandæ ſtudio, aut *eruditionis causâ inter nos diſſeri-*

Digitized by Google

mus. Quamobrem ſi forte aliquis *diuerſas inter nos ſententias cum viderit, de animi calumnietur rancore deſcendere,* omnino fallitur & parum acutè videt, quorſum ſpectent diſputationes Theologiæ diſceptatricis, quarum is vnus finis eſt omnium, *vt veritas ventilata plus rutilet* ſicut dicebat Caſſianus, & politiùs limetur vt nitidiùs ſplendeſcat; hæc cauſa caputque concertationum Scholaſticarum, hinc acres illæ ingeniorum pugnæ vehementiſſimâ contentione pugnatæ in quibus ille fructus eſt ſecundum Proſperum 1. de contempl. *quod tractatio quæſtionum, ſi non inſtruit inuenientis quod quærit animum, exercet ſaltem quærentis ingenium.*

Has belli ſimul & pacis artes ſemper Catholici tractatores tam mirabiliter quam vtiliter agitarunt. Etenim Hæreticorum nequitia eſt ſingularis, vt *dum animoſam peruerſitatem ſtultiore pertinaciâ defendunt, dum ſolâ impudentiâ contumaci reſiſtere audent veritati, dum litigant excacentur,* vt obſeruat Auguſtinus contra Manichæos & Donatiſtas ſcribens. Quia ſicut monebat perſapienter Gregorius in 8. Moral. cap. 2. *inquiſitionibus ſuis veritatem non conantur aſſequi ſed victores videri, contentiones certaminum exquirunt, & de Deo qui eſt pax noſtra pacificè loqui neſciunt:* at contrà diſputationes noſtras ita veri amor ac-

Digitized by Google

cendit & fouet, vt lædi minimè debeat charitas Chriſtiana.

Quod ſi ab hac regula & præſcriptione alicubi me quiſpiam inuenerit aberraſſe, ignoſcat peruelim; ſincere namque ſemper dicam cum Petro Cellenſi ep. 10. lib. 9. *Si ferrum de manubrio elapſum, te in aliquo læſit, da veniam, eandem à me recepturus indulgentiam:* Scio namque, columbam Eccleſiæ ac doctoris Eccleſiaſtici eſſe illuſtre Symbolum, quæ vt ait Cyprianus lib. de vn. Eccl. *eſt animal ſimplex, non felle amarum, non morſibus ſæuum, non vnguium laceratione violentum.* Ideoque Sympromiano Nouatiano dicebat S. Pacianus *nos quaſi columbæ ore potius quam dente confligimus.*

Certè conſilium fuit, aduerſarium authoritate atque ratione conuincere, ſiue cum falſa pro veriobtrudit, ſiue cum vera perinde ac falſa forent impugnare aggreditur; at eo nunquam ſcripſi animo vt illum verbis læderem, bene memor quid Auguſtinus dixerit. cap. 1. lib. 3. Contra Petil. 'ſi alter alteri malediceremus *quid aliud quam duo maledici eſſemus, vt ij qui nos legerent, alij deteſtatos abiicerent ſanâ grauitate, alij ſuauiter haurirent maleuolâ voluntate; Ego quando cuique vel dicendo vel ſcribendo reſpondeo etiam contumelioſis criminationibus laceſſitus, quantum mihi Dominus donat frænatis atque coërcitis va-*

uæ indignationis aculeis auditori lectoriue conſulens, non ago vt efficiar homini conuiciando ſuperior ſed conuincendo ſalubrior. Vtrum autem certaminis huius exitus votis reſponderit, nec iudicare poſſum, nec debeo; cum nemo ſit æquus in ſua cauſa iudex; ſed id totum lectoris eruditi qui nullo partium ſtudio ducatur, arbitrio iudicioque permitto.

FINIS

Digitized by Google

APPROBATIO.

NOs infra ſcripti fidem facimus perlegiſſe nos Librum cui titulus eſt, *reſponſio ad obiectiones Vincentianas ſiue ad argumenta quibus P. Vincentius Baronus Scientiam Mediam impugnat*, in eoque nihil inueniſſe fidei boniſue moribus contrarium, ſed omnia iuxta veræ Theologiæ principia clarè ſolidèque pertractata. Datum Toloſæ die 22. Febr. 1668.

FR. IOSEPHVS BRVNET Conuentus Sancti Auguſtini Doctor Regens in Academia Toloſana.

DVCASSE Doctor Theologus eiuſdem Academiæ.

Viſâ Doctorum approbatione librum hunc typis edi vulgarique permittimus.

DE LA FONT Vic. General.

Digitized by Google

INDEX

CAPITVM.

Reſponſionis ad obiectiones Vincentianas pars prior in qua proponuntur rationes à priori P. Vincentij aduerſus Scientiam Mediam & confutantur. num. 1.

Caput 1. proponitur ſtatus controuerſiæ & explanatur quid nomine Scientiæ Mediæ eiuſdem aſſertores intelligant. num. 5.

Caput 2. expenditur prima P. Vincentij aduerſus Scientiam Mediam argumentatio. num. 8.

Caput 3. proponitur alterum P. Vincentij argumentum & confutatur. num. 28.

Caput 4. expenditur tertia P. Vincentij aduerſus Scientiam Mediam argumentatio. num. 50.

Caput 5. expenduntur quæ P. Vincentius adducit vt probet dari decreta conditionata in quibus cognoſcat Deus futura contingentia conditionata. num. 60

Caput 6. confutantur reliqua qnæ P. Vincentius congerit aduerſus Scientiam Mediam argumenta à priori. num. 71.

Reſponſionis ad obiectiones Vincentianas pars poſterior in quâ examen Scientiæ Mediæ

Digitized by Google

ex Scriptura & Patribus à P. Vincentio inſtauratum ad nouum examen reuocatur. num. 87.

Caput 1. an ex diuinis reuelationibus futurorũ ſub conditione rectè concludatur eſſe in Deo certam illorum notitiam. num. 89.

Caput 2. an ex adductis ſcripturæ locis rectè concludatur, Deum hæc futura certò cognoſcere independenter à decreto efficaci ex parte obiecti conditionato. num. 106.

Caput 3. refelluntur aliæ P. Vincentij reſponſiones. num. 120.

Caput 4. ſoluuntur obiectiones duæ ſeu confutantur reſponſiones ad argumentum ex verbis Chriſti Math. 11. petitum. num. 129.

Caput 5. expenditur an Scientia Media S. Auguſtini & S. Thomæ principiis ſit conſentanea. num. 141.

Caput 6. S. Thomam Scientiæ Mediæ non aduerſari aduerſus P. Vincentium oſtenditur. num. 152.

Caput 7. an Scientia Media pugnet cum S. Auguſtini doctrinâ. num. 165.

Caput 8. an modus conciliandi libertatem arbitrij cum gratiâ efficaci & prædeſtinatione beneficio Scientiæ Mediæ ſit conſentaneus S. Auguſtini principiis. num. 190.

Caput 9. an vſus Scientiæ Mediæ in conciliandâ libertate arbitrij cum Prædeſtinatione & gratiâ ſit Semipelagianorum commentum. num. 204.

Digitized by Google

INDEX.

Caput 10. an modus quo P. Vincentius conciliat libertatem arbitrij cum auxilio efficaci diuinæ gratiæ ſit conformis S. Auguſtini principiis. num. 230.

Caput 11. Soluuntur Reſponſiones duæ ad aliqua Sancti Auguſtini pro Scientia Media teſtimonia. num. 253.

LECTOR BENEVOLE

Quæ operarum incuriâ irrepſerunt menda ſic emenda.

PAg. 15. cognitiones lege cognitionis p. 25. eſſe medium adde non eſſe. p. 47. cognoſcit lege agnoſcit p. 79. ille l. illa p. 96. & tamen certum eſt, non ſunt verba Auguſtini p. 13. operanti operantis. 145. appreſſæ oppreſſæ. cum l. eum 146. ſequuntur, ſciuntur 147. conſiluerunt conſuerunt, 149. vt ſit vt ſic. 15. ad art. ex art. retule retuli 157. in ordinatione Ordinatione 159. futuri futuræ 162. præteriſiſſet l. præteriſſet 164. intendatur intenditur 166. delibauit adde cutem. 173. Perſeuerantio l. tiæ. 174. Auguſtino Auguſtinus 187. in vna vnam 185. eſſe l. eos. 188. ſententiam ſcientiam p. 191. poſt hæc impedire effectum adde; vel ſunt ex ſe defectibilia 199. quod, qui 202. abor labor. 245. auxilium lege conſenſum. §. lego c,

Cætera pro tua benignitate ignoſces ac pro tua eruditione ſupplecis.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google